G. Curtii scripta
in hoc volumine collecta

De Nominum Graecorum formatione —	Berolini 1842
De Verbi Latini futuro exacto et perfecti conjunctivo —	Dresdae – 1844
De quibusdam Antigonae Sophocleae locis —	Kiliae 1855
Quaestiones etymologicae. — —	Kiliae 1856
Corollarium commentationis de nomine Homeri scriptae. — — —	Kiliae 1856
De anomaliae cujusdam Graecae analogia	Kiliae 1857
De Aoristi Latini reliquiis. — —	Kiliae 1857
De forma Homerica ἐάφθη — —	Lipsiae 1870
De Adjectivis Graecis et Latinis L litterae ope formatis — — — —	Lipsiae 1870

DE
NOMINUM GRAECORUM FORMATIONE

LINGUARUM COGNATARUM RATIONE HABITA

SCRIPSIT

GEORGIUS CURTIUS
PHILOS. DR.

BEROLINI
APUD FERDINANDUM DÜMMLERUM.
MDCCCXLII.

FORMIS ACADEMICIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

FRANCISCO BOPP

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

FRANCISCO BOPP

HANC COMMENTATIUNCULAM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

In Graeca non minus, quam in plerisque aliis linguis tractandis quum ad nostros usque dies praevaleret ea ratio, ut quae ad intelligendos scriptores necessaria essent accurate collecta traderentur, factum est, ut, quantacunque fuit in aliis huius disciplinae partibus industria, eae, quae illum in usum minus contribuere videbantur, fere intactae iacerent. Quod imprimis valet de nominum et verborum formatione. Nam etsi multa passim viri docti hanc in rem contulerunt, et Lobeckius, v. ill., eruditione stupenda magnoque acumine complures quaestiones, quae huc pertinent, in Parergis et Paralipomenis instituit, tamen librum, in quo tota res subtiliter tractata sit desideramus. Atque etiam ii viri, qui comparatis quae ab eadem stirpe oriundae sunt linguis et Sanscrito maxime sermone advocato, novas vias cum fere omnium Europaearum, tum Graecae linguae studio muniverunt, declinationem quidem et coniugationem recens constituerunt, eam vero grammaticae partem, quae in nominum verborumque formatione versatur, passim tantum, data occasione, tetigerunt. Inter quos Boppio, celeberrimo comparativae grammaticae conditori, et Pottio, v. cl., plurima debemus. Collegit nuper Papius, v. cl., secundum terminationes vocabula Graeca in lexico, quod etymologicum nominavit. Sed secutus est ordinem alphabeticum et breviter tantum de singulis terminationibus praemonuit, ita ut utilissimus quidem hic liber sit scripturo de vocabulorum formatione, nequaquam tamen accuratius cognituro sufficiat.

Mihi vero priusquam talis, qualem nobis informamus liber de hac re aliquatenus perfectus scribatur, necessarium videtur, ut singulae quaestiones, quae illuc faciunt, cognatarum linguarum comparatione ad hanc

non minus, quam ad ceteras Graecae grammaticae partes adhibita, accurate tractentur. Quare quum de nominibus ex radice formatis quaedam collegissem, ea promere haud absonum visum est. Atque praecipue agitavi significationem suffixorum, de qua novam rationem commendandam mihi sumpsi. Eam autem expponere non potui, quin de suffixis, quae inter se cognata sint, quae diversa et de aliis rebus, quae statim in vestibulo huius disciplinae positae sunt, quaestiones moverem potius et adumbrarem, quam ad finem perducerem. Itaque inscripsi libellum maiore nomine, quam quo dignus est, non ut maius promitterem, quam praestarem, sed ne molestus foret longa inscriptione. Quam parva enim rei propositae pars et ea quantulis viribus tractata sit, adeo sentio, ut benevolentiae eorum, qui hanc commentatiunculam legent, plurimum confidam.

ARGUMENTUM.

De nominum primitivorum et derivatorum discrimine . . . . pag. 1
De litteris, quae nominum thematis non mutata significatione adduntur (δ, τ) . . . . . - 5
De consonis inter stirpes et suffixa insertis (σ, ϑ) . . . . - 16
De vocalium in nominibus ex radice formatis mutatione . . . . - 20
De suffixorum significatione:
in universum disseritur . . . . - 23
De nominibus sine suffixo formatis . . . . - 27
De suffixis ο, α, η . . . . - 28
» » ι, υ, ευ, ες . . . . - 31
» » τηρ, τορ, τα, τρα, τρο etc. . . . . - 33
» » μην, μων, μεν, μον, μη, μο, ματ, μενο, μονη, μνο etc. . . . . . . - 39
» » ην, ων, εν, ον, ο (ω), ανο, ονη etc. . . . . - 49
De infinitivis . . . . - 55
De suffixis τυ, τι, το, τη, νο, νη, ιο, ια, ρο, ρα, λο, λη . . . . - 59

DE NOMINUM PRIMITIVORUM ET DERIVATORUM DISCRIMINE.

Omnis de nominum formatione disciplina incipere debet a discrimine, inter nomina primitiva et derivata statuendo. Quod etsi primum intuenti tam perspicuum esse videtur, de quo vix dubitari possit, tamen a plerisque antiquarum linguarum grammaticis neque accurate definitum est, neque in tractandis variis nominum terminationibus satis religiose observatum. Distinguunt quidem iam veteres grammatici inter nomina *πρωτότυπα* et *παράγωγα*, et sic utramque classem discribunt, ut illa *τὰ κατὰ τὴν πρώτην θέσιν λεχθέντα*, haec *τὰ ἀφ' ἑτέρου τὴν γένεσιν ἐσχηκότα* complectatur [1]), et Priscianus, qui nomina *principalia* a *derivatis* secernit, ut in plerisque, ita in hoc magistros Graecos sequitur [2]); verum ubi de singulis agunt, quaecunque nomina vel a verbo, vel a nomine aliquo repetunt, derivata dicunt, ita ut primitivorum in ordine ea tantum relinquantur, quorum originem ignorant, velut *πατήρ*, *γῆ*. In quo si veteres sequimur, quum magna nostro tempore opera in eo ponatur, ut vocabula ad radices suas deducamus, sperandum est, fore, ut postremo omnia ex primitivorum classe inter derivata referantur. Itaque Kühnerus, qui omnia, quae a radice quadam repeti possunt, nomina derivata vocat, vel simplicissimum *χείρ*, quoniam a radice Sanscrita *hṛ* ortum est, his adnumerat [3]). Ex hac igitur ratione discrimen illud vere tollitur. — Aliter docent vv. cll. Boppius et Pottius [4]), qui Indos grammaticos secuti inter nomina ex radice facta, et ea, quae a nominis themate oriuntur, distinguunt. Ac recte quidem illa primitiva, haec derivata vocant; aquas enim ex fonte in va-

---

[1]) cf. Dionys. Thr. §. 14., Bekk. Anecdd. p. 634. ib. scholl. p. 857—859.
[2]) Prisc. II., 5.
[3]) gr. Graeca ampl. I., p. 414.
[4]) Etymologische Forschungen, Vol. 1., p. 153.

rias regiones decurrentes non dicimus derivari a fonte, sed quum ex naturali alveo aliqua fluminis pars in rivulos quosdam peculiares deflectitur, hanc derivatam recte appellamus. Eodem nos Graecorum grammaticorum definitio ducit. Nam quum radices per se non inveniantur, sed ut puncta lineaeve in mathesi, ut cum Aristotele loquar, κατ' ἀφαίρεσιν tantum sint, eae demum πρῶται θέσεις, vel πρωτότυπα vocari possunt, quae a radice propagata in certam quandam formam (τύπον) redacta sunt. Cuiusmodi sunt et verborum variae formae et nominum themata. Quamquam enim verba radici propiora sunt eo, quod in iis personarum signa ipsi radici affigi possunt (φη-μί); tamen eiusmodi etiam nomina exstant, velut φρίκ-ς, in quo σ nominativi proprium sine ullius suffixi ope radici additur, ita ut in hoc nomine thema, seu id quod abiecta casus terminatione remanet, a radice non distinguatur. In aliis autem formis et verbo varia augmenta, temporum, modorum, personarum signa adhaerent, et nomini praeter casuum terminationes suffixa (cf. ἄγ-ο-μεν, ἀγ-ό-ς). Quare quin nomina, quae recta via a radice repetuntur aeque ac verborum formas primitiva dicamus causa non est. Vocabimus igitur primitiva: φυγ-ή, φύκ-σι-ς, πλέγμα(τ), φράδ-μων, ἡδύ-ς, σαφ-ής, ἡδ-ονή, omnia denique, quae aut nullius [5]) aut simplicis alicuius suffixi ope a radice propagata sunt; derivata contra, quae a nominis themate orta sunt, velut ἀγαθό-τη(τ)-ς, ἀγαθω-σύνη, ἀρχικό-ς (ἀρχή), τρόπα-ιος (τροπή), χαριτ-ό-εις (χαριτ). Cum primitivis autem ea coniungenda sunt, quae a verborum derivatorum stirpibus originem ceperunt; solet enim vel derivati verbi (νοέω a νόο-ς) stirps rursus tamquam radix tractari, ita ut ex νοε, νοέω verbi stirpe, νοήμων non aliter profluat, quam φράδ-μων ex φραδ (φράζω). Eiusmodi vero nomina quamquam primitiva nominare non possumus, quum a verbis derivatis repetantur, communi tamen verbalium nomine cum illis proprie primitivis coniungere, ab his autem denominativa distinguere convenit [6]).

Ut nomina verbalia a denominativis, ita suffixa quibus illa utuntur diversa sunt ab iis, quorum ope a nominum thematis nova vocabula pro-

[5]) velut ὤπ-ς (ὀπ), ὄπ-ς (Ϝεπ), βήχ-ς (βηχ), Latina rec-s, lec-s.

[6]) hanc inter verbalia et denominativa differentiam accuratius, quam veteres grammatici observat Vossius, de arte grammatica Lib. IV., cap. 32. sq. Etiam Buttmannus de verbalibus separatim agit; sed distinguit substantiva ab adjectivis, ita ut communem verbalium classem non habeat.

pagantur. Duo igitur suffixorum genera sunt, quae a Sanscritae linguae grammaticis subtiliter distinguuntur: alterum, nominibus verbalibus proprium, ea continet, quae *Kṛt* et *Unâdi*, alterum quae *Taddhita* vocantur. Quae genera etiam in Graecorum nominum formatione distinguenda sunt. Quamquam tam accurate Graeci utriusque generis paragogas non separarunt, quam Indi et sunt quaedam utrique classi communes. *ος* enim neutrale, quod Sanscrito as respondet [7]), quum hoc tantum in verbalibus usurpetur (man-as a man rad., mens a cogitando), Graeci etiam ad denominativa transtulerunt (ὄξος ab ὀξύ-ς, εὖρο-ς ab εὐρύ-ς). τη-ς, quod ex τηρ ortum est [8]), non modo in δέκ-τη-ς ποιήτη-ς verbalibus, sed etiam in φυλέ-τη-ς, πολί-τη-ς aliisque denominativis usurpatur. In hoc cum plerisque linguis Graeca congruit, quod το-ς [9]) cuius proprius usus est in adiectivis verbalibus (λεκ-τό-ς), transfert etiam ad denominativa, velut θυσανω-τό-ς, κεδρωτό-ς, κοντωτό-ς, quae ex verbalium analogia quasi a verbis θυσανόω etc. formantur, sicut Sanscritum *phalita-s*, a *phala* (fructus) fructu praeditus, Latinum nasu-tu-s, nostrum gehörnt, quae verba, unde deriventur non habent. Rarus contra et fere inauditus est suffixi, denominativis proprii, in verbalium classem transitus, cuius exemplum legitur in hymno in Martem [10]) v. 10. ἐς βιότητα, in quo τη-ς G. τητος, alias in denominativis usurpatum, nomini verbali datum est. In lingua Sanscrita in denominativis praecipue invenitur illa vocalis auctio, quae *vṛddhi* vocatur, velut *çuk'i-s* (purus), *çâuk'a-m* (puritas). Graeci quod cum hac comparetur non habent; sed plerumque in derivatione vocalem non augent, γλεῦκος et ἔρευθος autem, quae a γλυκύς et ἐρυθρό-ς similiter repetenda sunt, atque εὖρος ab εὐρύς, μῆκος a μακρό-ς, non aliter augent vocalem, quam in primitivis ex radice formandis, (velut φεύγω a φυγ, ζεῦγος a ζυγ [11]) i. e. eo modo, qui in lingua Sanscrita guna dicitur. — Discrepant autem denominativa a verbalibus ratione, qua stirps cum suffixo con-

---

7) vid. Bopp Vergleichende Grammatik p. 171.

8) ib. p. 170.

9) Sanscr. ta-s, Latinum tu-s.

10) qui propter hanc aliasque causas valde recens esse videtur. Cf. O. Müller Griech. Literaturgeschichte Vol. 1., p. 127. sq.

11) cf. ζυγ-ό-ν, Latinum *jug-u-m*, rad. Sct. *jug'*; vid. Boppii synopsin radicum in glossario Sanscr.

iungitur [12]). In primitivis enim non tam facile eliditur aliqua stirpis pars, quam in derivatis. Nam ut exemplum afferam, υ in primitivo κρύος ante eandem terminationem retinetur, ante quam in ὄξος, εὖρος, γλεῦκος, θάρσος (a thematis ὀξύ, εὐρύ etc.) eliditur [13]). Similiter nomina in ο, α, η fere ante omnia suffixa a vocali incipientia has literas abiiciunt, quod probant δειλ(ο)ία, κακ(ο)ία, ἀρχ(η)ικό-ς, μουσ(α)ικό-ς vocabula. Syllaba eliditur in ἀμαθ(εσ)ία ab ἀμαθής (thema ἀμαθες). In στά-δ-ιον vero, νεοσπα-δ-ής [14]) δ potius insertum est, quam ut radicis aliqua pars periret. — Tum denominativis id proprium est, quod constantes quasdam in initio vocales amant, velut ι in ινο-ς, ικο-ς, quae hac vocali a verbalibus νο-ς, μο-ς suffixis distinguuntur

cf. λιθ-ινός et στυγ-νός
κάλλ-ιμο-ς et θερ-μός.

In quo cum Sanscrito sermone Graecus congruit; nam in eo quoque suffixa *Krt man, ma, ja* eodem discrimine a *Taddhitis iman, ima, ija* discrepant.

Cf. *mah-iman* (*mahat*) magnitudo et *g'anman* (rad. *g'an*) ortus
pâk-ima (*pâka*) maturus et *tig-ma* (rad. *tig'*) acutus
jag'n-ija (*jag'na*) sacrificalis et *stavja* (rad. *stu*) praedicandus

Quae per complures linguas longius persequi quamvis utilissimum esset magnique ad accuratius utramque classem cognoscendam momenti, a nostra tamen quaestione alienum est.

Restant autem vocabula de quibus dubites, num derivata an primitiva dicas. Graeci enim quum nonnullis suffixis utroque modo utantur, quo pertineat hoc vel illud nomen saepe difficile est diiudicatu. In quo significatione accurate expensa, sensum quendam, diligenti sermonis studio politum, potius sequamur oportet, quam ut ea de re in universum quidquam praescribi possit. Sic ος radicibus aeque ac thematis affigi vidimus. Quare utrum βρῖθος e verbi βρίθω radice, an ex βριθύ-ς adiec-

---

12) In universum de hac re praeclare disseruit Guil. a Humboldt in praef. ad librum: Die Kawisprache pag. CLVI.

13) cf. Sanscr. **çuk'i-çâuk'(i)a-m bahu-bah(u)iman.**
rad. g'i (vincere) - **g'aja-s**

14) de quibus vid. infra pag. 7.

tivo repetamus, dubitatur. Equidem eo inclinaverim, ut derivatum esse dicam propter notionem; τὸ βρῖθος enim est gravitas, abstractum adiectivi βριθύ-ς, quod unumquemque Graecum, ubi hoc vocabulo utebatur, sensisse puto. τὸ ψεῦδος autem (contra Buttmanni sententiam [15]), quum non fallaciam, sed potius unum quoddam mendacium designet, non a ψευδής sed a radice ψεύδομαι verbi derivaverim. Similem dubitationem τη-ς movet, quod proprie actorem significans et ex radice nomina repetens, transfertur etiam ad nominum themata, quibus si additur, personam designat eius rei, quae nomine notatur, participem. Atque aperte quidem priori usui adscribas: κλέπ-τη-ς, σφάκ-τη-ς, εὑρ-έ-τη-ς posteriori, ὁδί-τη-ς, αἰχμη-τή-ς, πρεσβύ-τη-ς; difficilius iudicatur de οἰκέ-τη-ς, num ut Ionicum οἰκιή-τη-ς, cuius auctor Pherecydes laudatur, ab οἰκία, ita ab οἶκο-ς derivandum sit, ac proprie eum designarit, qui domus particeps sit vel ad domum pertineat, an ex οἰκέω verbo deducatur. Mihi vero illud probabilius est [16]). γαμέτης autem non a γάμο-ς descendere, sed ex ipsa radice factum esse videtur. Adiectiva in ιμο-ς similiter fluctuant. Itaque num πόριμο-ς, γόνιμο-ς, τρόφιμο-ς, ἀοίδιμο-ς verbalia dicas, an cum κάλλιμο-ς, αἴσιμο-ς denominativa, dubitari licet. Accedit Sanscritae linguae auctoritas, quae adiectiva derivata in ima nobis praebet velut antima ab anta, finis, finalis. Quare fortasse omnia illa in denominativorum ordinem ex verbalibus, quo Buttmannus ea delegat [17]), transferenda sunt. Atque hunc fere in modum ei qui nominum Graecorum formationem maiore ambitu tractaturus est, singula, usum scriptorum reputanti cognatasque linguas conferenti, consideranda esse videntur.

DE LITTERIS, QUAE NOMINUM THEMATIS NON MUTATA SIGNIFICATIONE ADDUNTUR.

Quo loco cavendum est, ne omnia nomina, in quibus nominis themati aliquid additum est, derivata dicamus. Potest enim nominis suffixum non mutata significatione augeri; significatio vero si addito suffixo

---

[15]) Gramm. ampl. II., p. 325.
[16]) in quo cum Buttmanno consentio (l. c. p. 326.).
[17]) ib. p. 341.

inclinatur, ita demum ex uno nomine alterum derivari dicimus. Augentur autem non mutata notione nomina aut consonis, aut vocalibus; consonis, quae in vocalem exeunt, copulandarum casuum terminationum causa; vocalibus, quae desinunt in consonam, ex negligentia quadam linguae, secundum quam isosyllabam et magis vulgarem declinationem perittosyllabae ac minus usitatae praefert. Accedit abundantia quaedam suffixorum, quae raro apud Graecos, saepius in lingua Latina invenitur. De his rebus, quae adhuc minus tritae sunt, paulo accuratius agendum est.

Incipiamus a consonis, quae suffixis quibusdam adduntur. In his primum de δ dicamus. Quam literam additam esse in vocabulis in τρῖ, velut λῃστρί-ς, quae Sanscritis in *trî* (*g'anitrî*) Latinis in tri-c-s (genitrix) respondent, atque in patronymicis femininis, quae in ι-ς terminantur, Boppius primus docuit [18]). Sed in aliis quoque nominibus in ι-ς δ serius insertum esse videtur. *î* enim quum in lingua Sanscrita feminina formet, et eorum nominum quae thema consonante terminant velut sat- (sat -*î*), et nominum in a, ubi componuntur [19]), velut *sumukhî* (facie formosa) a *sumukha*, huic mire respondet graecum εὐπλοκαμῖ-ς, quod eodem modo ad masculinum εὐπλόκαμο-ς pertinet [20]). Quare quin in hoc quoque δ insertum sit, dubitari non potest. Iam vero eundem usum saepe breve ἴ habet tam in compositis velut συμμαχί-ς, στρατηγί-ς, quorum masculina in ο-ς exeunt, quam in simplicibus ἑταιρίς, ἡμερίς; atque est hoc proprium eorum femininorum suffixum, quorum masculina in η-ς desinunt, velut μυροπώλη-ς - μυρόπωλι-ς [21]), multorumque in εύ-ς, velut βασιλίς, quaeque consonas in thematis fine habent - ἡγεμον-ί-ς, ἀηδον-ί-ς. In quibus omnibus ι cum Sanscrito *î* cognatum esse videtur. Neque ab his separari possunt cetera in ι-ς vocabula, quae in abstractam significationem transierunt (ἐλπίς [22]); quamquam haec etiam cum Sanscritis in ἴ nominibus, non valde frequentibus (*g'aji* a *g'i*- victoria [23]), comparari possunt. Certe haec omnia in eo aequiparanda esse videntur, quod δ serius in se receperunt. At-

---

[18]) Vergleichende Grammatik p. 139., p. 148.

[19]) Bopp Sanskritgr. in kürzerer Fassung p. 108.

[20]) a πλοκαμί-ς enim εὐπλοκαμί-ς derivare vetat sera huius vocabuli (πλοκαμί-ς) origo. Usurpatur enim primum a Theocrito.

[21]) de quibus agit Buttm. Gr. ampl. II., p. 327.

[22]) de abstractorum origine vid. infra.

[23]) v. Bopp Sktgr. p. 299.

que comprobatur hoc praeter anologiam Sanscritae linguae multis ipsius Graecae linguae indiciis et testimoniis. — Primo loco ponendum est, quod ipsa illa vocabula nobis formas praebent partim per δ, partim sine huius literae ope factas. τρόπι-ς enim genitivum aut τρόπι-ος (τρόπεως) aut τρόπιδος habet [24]); multa cum πόλις composita δ inserunt, velut Σώπολις, Ἀγησίπολις [25]). Idem fit in quibusdam nominibus, quae τι et ρι suffixis propagata sunt. Nam quae a μάντι-ς descendunt, nonnulla δ praebent, velut ἀλευρομαντιδ(ος) [26]); simile est κακοφατιδ(ος) (φάτι-ς-φάτιος) [27]). Ita in eodem vocabulo δ modo invenitur, modo abest, saepe in eadem dialecto; alia in aliis dialectis alia sunt; ac quod summi momenti est Iones et Dorienses δ literam in his vocabulis fere ignorant [28]). Scilicet hiatum, Atticis invisum, hic uti saepe toleraverunt. — Haec quum in ipsis vocabulis in ι-ς inveniantur vestigia δ litterae serius additae, tum alia exempla huius rei afferemus, quo magis nostra de illis vocabulis sententia confirmetur.

Radicibus quibusdam in consonam desinentibus δ et ante verbales terminationes, quae a vocali incipiunt, et ante suffixa nominalia affigitur hiatus vitandi causa:

σπα - ἀπεσπά-δ-ατο [29]), νεοσπα-δ-ής, νευροσπα-δ-ής ἀποσπά-δ-ιο-ς, σπα-δ-ών [30])
στα - στά-δ-ιος, στά-δ-ιον
φα - (φα-ος) ἐπαυτοφα-δ-ές [31]), ἀμφά-δ-ιος
(ϝ)ά - (ἄημι) (εὐαής Soph. Phil. 828. Dind.) εὐαδής Hesych. = εὐήνεμος
ψα - ψα-δ-υρός
χλι - (χλίω, χλιαρός, χλίασμα) χλι-δ-ή, χλι-δ-άω, χλι-δ-ών
φθι - φθί-δ-ιος
συ - πασσυ-δ-ή, πασσυ-δ-εί (cf. ἀμαχ-εί, αὐτοβο-εί)
σχε - σχέ-δ-ιος
χυ - κεχύ-δ-αται
κρι(ν) - κεκρί-δ-αται.

---

24) cf. Buttm. I., 189.
25) vid. Bekk. Anecdd. p. 1192.
26) ib. p. 1193.; Lobeck, Paralipomena gr. Gr. p. 239.
27) Lob. l. c. p. 4. etiam πολυίδριδι ex Sapphone, et ἴδριδα ex Sophocle affert.
28) Buttm. I., p. 189; 206. Ahrens de dialectis Aeolicis p. 118, sq.
29) de hoc aliisque multis, quae attulimus, exemplis cf. Lob. ad. Aj. p. 403. ed. sec.
30) vid. infra.
31) Hesych. - ἐπ' αὐτοφώρῳ.

In compositis interdum δ inseri, Θού-δ-ιππο-ς [32]) (cf. Θου-κυδίδης) et ἐχθο-δ-οπός [33]) vocabula probare videntur. Maiorem cum nostris in ί-ς nominibus similitudinem ea habent, quae nullius suffixi ope ex radicibus in α facta, in casibus obliquis δ inserunt, velut

σπα - ἀποσπά-ς G. ἀποσπάδος (σπαδής)
στα - χαροστά-ς, βουστάς, παραστάς, Gen. στάδος (cf. στάδιος)
βα - ἐμβά-ς cf. βάδο-ς, βα-δ-ίζω [34])
κλι(ν) - δικλί-ς (ιδος) (cf. κεκρί-δ-αται).

Neque aliam puto δ literae originem esse in quibusdam syllabis derivativis; nam si Aeolica patronymica in αδιο-ς velut Ὑῤῥάδιος a Ὕῤῥα-ς [35]) cum vulgaribus in ιος comparamus, velut Τελαμώνιος Αἴας, verisimillimum est illam paragogen ex hac, inserta δ litera, ortam esse. Similia sunt μινυνθά-δ-ιος, κρυπτά-δ-ιος; a quibus ἐπιθαλασσί-δ-ιο-ς, νυμφί-δ-ιος, μαστί-δ-ιο-ς, μοιρί-διος eo tantum diversa sunt, quod vocalem finalem a maiore α vel ο sono in tenuiorem ι mutarunt. Atque ex horum analogia etiam nomina, quae in consonante desinunt, inserta ι litera, διο-ς recepisse videntur, velut φωρ-ί-διος, quod simpliciori φώρ-ιος eodem modo respondet, quo ἐπιθαλασσίδιος breviori ἐπιθαλάσσιος. Quare in hoc abundantiam quandam linguae animadvertere licet. Similiter vulgaria in ίδη-ς et άδη-ς patronymica orta esse suspicor, ita quidem ut ι et α aut pro finali nominis, unde derivantur vocali ponantur (Πρίαμος - Πριαμί-δης - Αἰνεία-ς - Αἰνειάδης), aut inserantur (Ἀγαμεμνον-ί-δης, Βακχι-ά-δης); η-ς autem non differre puto ab eo suffixo, quod in μυροπώλ-η-ς aliisque compositis conspicitur. Sed haec omnia antiquissimo tempore a Graecis facta esse, coniecerim; postea eos ιδιος, αδιος, ιδης, αδης, ιαδης tamquam propria suffixa sensisse apparet [36]). Praeclarum d literae interpositae ex Latina lingua

---

[32]) Lob. ad Aj. l. c.

[33]) si Buttmannum sequimur (lexil. I., p. 126.), qui ab ἐχθ(ρ)ο et ὄπ ἐχθο-δ-οπός (sicut χαροπός) derivat. Lob. l. c. aliter sentit; verum quum Graeci π literam in derivatione usurpare non soleant, δοπο-ς, δαπο-ς syllabae, quas v. cl. derivativas esse vult, valde suspectae sunt.

[34]) Lob. Paralipp. p. 155.

[35]) Bekk. Anecdd. p. 634. sq.

[36]) Eadem δ literae ratio esse videtur in adverbiis in δον, (σχεδόν) δα (ἐκτα-δά), δην (βά-δην); quae terminationes postea aperte etiam in radices consona terminatas transferuntur. Cf. Lob. Paralipp. p. 155. sq. Pleraque tamen a radicibus in vocalem exeuntibus propagantur.

exemplum est pecu-d, cuius antiquiorem pecu formam habemus; praeterea Sanscr. *paçu* et Gothicum *faihu* satis demonstrant, hoc vocabulum primitus in u desiisse [37]).

Quibus exemplis quum nostram de vocabulis in ι-ς opinionem comprobasse videamur, ad aliam nominum classem transeamus, quae themati δ similiter affixum habet. Nomina in α-ς (Gen. αδος) enim ut plus una ratione cum vocabulis in ι-ς comparantur, ita in hoc quoque illis similia esse videntur. Itaque de patronymicis iam idem coniecit Boppius, quod de illis, supra tractatis, δ esse serius illatum [38]). Sed latius hoc valet. Omnia enim vocabula in αδ femininis adiectivorum in ο-ς simillima sunt; quaedam plane eodem modo masculinis in ο-ς respondent:

	ἐρῆμο-ς	Fem. ἐρήμη	et	ἐρημά-ς
	κοῖλο-ς	- κοίλη	-	κοιλά-ς [39])
	λευκό-ς	- λευκή	-	λευκάς
	κόλυμβο-ς	-		κολυμβά-ς
	μῖμο-ς	-		μιμά-ς
	μοιχό-ς	-		μοιχάς
	πέδιο-ς	-		πεδιά-ς [40])
(τεκνο)	φόρο-ς	-		φορά-ς
Fem. (παιδο)	τόκο-ς	et		τοκάς
	χαλκέμβολο-ς			χαλκεμβολά-ς (Eurip.)

alia cum masculinis in η-ς conferenda sunt velut

ἀελλής (Il. 3, 13) et ἀελλά-ς (Soph. Oed. T. 467.)
χαμαιεύνη-ς et χαμαιευνά-ς (Od. 10, 243.)

Vocabulum, quod nos in hoc ducerc potest, est ποτνιά-ς. Hoc enim Euripides utitur ut Baccharum et Furiarum epitheto. Interpretantur vulgo: clamantes (ποτνιάδες) et cum verbo ποτνιάω [41]), vel ποτνιάζω, quae clamandi notionem habent, coniungunt. Haec autem significatio in Bacchas qui-

---

[37]) Bopp Vergl. Gr. p. 148.; cf. re-d-itus, se-d-itio etc.

[38]) ib. „Wahrscheinlich ist auch das δ in weiblichen Patronymen auf αδ. ein späterer Nachtrag."

[39]) horum si quaedam substantive usurpantur, aut supplendum est aliquid velut ad λευκάς πέτρη, aut ita in substantivorum ordinem transierunt, ut ἡ θέρμη a θερμό-ς, de quo cf. quae infra disseremus.

[40]) sicut Λήμνιο-ς Λημνιά-ς cf. Buttm. II., p. 331.

[41]) vocabulo seriore, quod non ante Plutarchum invenitur.

dem optime quadrat (cf. Eur. Bacch. v. 664. Dind.), Furiis vero (Or. 318.) non convenire videtur, quamquam illo loco *θίασο-ς* sed *ἀβάκχευτο-ς* iis tribuitur. Neque Furiis, quae proprie *πότνιαι*[42]), *σεμναί* dicuntur, Euripides aliud epitheton quam hoc dedisse, sed solam formam mutavisse videtur, *ποτνιάδες* dicens pro *πότνιαι*[43]). Hoc igitur, ni fallor, exemplum est *α* in *αδ* mutati. Atque omnino *δ* in hac vocabulorum classe serius additum esse puto, nominaque in *αδ* a femininis in *α* et *η* non longius distare videntur, quam nomina in *ιδ* ab iis, quae in *ι* terminantur; etsi in illis declinatio servatur, quae *δ* littera ad *α* accedente invertitur. De paucis vero, quae inveniuntur, masculinis in *αδ*[44]) dupliciter iudicari potest. Nam aut abusu in haec masculinum genus translatum est[45]), ut saepissime in masculinorum formas femininum genus transfertur[46]) aut terminationem ex antiquissimo illo *α* derivarunt, quod omnibus generibus commune erat.

t litteram in lingua Sanscrita radicibus interdum addi videmus, tam in mediis vocabulis, velut *ha-t-ja*, gerundio rad. *han*, quam in fine compositorum, velut *sarva-g'i-t*, omnia vincens (*g'i*)
lôka-kṛ-t, mundi creator (*kṛ*)
mahî-kshi-t, terram tenens (*kshi*)

quibuscum Boppius Latina *super-sti-t* (rad. *sta*), *equ-i-t* (rad. *i*), alia, Pottius *pari-et* (*περί* et rad. *i*) ingeniose comparavit[47]). Potest his etiam *indiget* addi, quod ex *indi* vel *indu* praepositione et rad. *gen* (*gi-g(e)n-o, γεν, g'an*) ortum est, sicut cognatum *indi-gena*. Sed ne Graeci quidem carent nominibus, quae cum his conferantur; addunt enim radicibus quibusdam, quae aut ab initio, aut syncope facta in longam vocalem desinunt *τ* literam, quae quum in nominativo ante *ς* excidat, in casibus obliquis conspicitur. Cuius rei exempla sunt:

rad. *γνω* - St. *g'nâ* - *ἀ-γνώτ*
βρω *ὠμο-βρώ-τ, σιδηρο-βρώτ, ἀνδρο-βρώ-τ*

---

[42]) Herod. IX., 97. τὸ τῶν Ποτνιέων ἱρόν.
[43]) Cf. Passow. in lexico s. v.
[44]) cf. Buttm. I, 252.
[45]) quod de masculinis in *ι-δ* statuendum esse videtur.
[46]) quod fit in omnibus adjectivis communibus, velut *πίδιος* masc. et fem.
[47]) Bopp Vergl. Gr. p. 132.; Pott Etym. Forsch. I, p. 201. Simile quiddam in linguis Celticis detexit Boppius; cf. Die Celtischen Sprachen etc. p. 55.

στρω vel στορ (*str*) φυλλο-στρώ-τ
δμα - δαμ (*dam*) ἀδμή-τ (cf. δμώς, δμωός)
βαλ - βλα ἀβλή-τ, ὑποβλήτ, ἀστροβλήτ
καμ - κμα δορικμή-τ
ταμ - τμα ἰθυτμήτ
θαν - θνα ἡμιθνήτ.

χρώ-ς vocabulum serius τ recepisse certissima vestigia sunt. Apud Homerum enim χρο-ός, χρο-ί, χρό-α [48]) leguntur, quae postea commodioribus χρωτός, χρωτί, χρῶτα cesserunt. ἔρω-ς et γέλω-ς in Homericis carminibus aut secundam atticam, quae vocatur, declinationem sequuntur [49]); aut pro iis ἔρο-ς et γέλο-ς occurrunt; ac vel Attici δύσερω dicebant pro usitatiore δυσέρωτος [50]); ἱδρώ-ς praeter Il. δ, 27., ubi etiam sententia melior est, si ἱδρῶ θ' non ἱδρῶθ' scribitur, τ non habet apud Homerum [51]). Neque in omnibus nominibus in η(τ)-ς τ littera primitiva est. Nomina enim propria, quae nominativum in ης terminant, magna ex parte ceteros casus aut secundum primam declinationem, aut addito τ ex tertiae norma flectunt, velut Γύγη-ς (ου-ητος), Δάρη-ς, Κώμη-ς, Μύκη-ς Μήνη-ς, Μίγη-ς [52]). Horum si quaedam, quae derivata sunt, ex analogia κεφαλήτ, Κύνητ aliorumque nominum, in quibus ητ syllaba derivativa est, facta et metaplasmo in primam declinationem translata sunt, tamen in iis, quae a verbis descendunt, velut Μίγη-ς, quaeque ut Γύγη-ς antiquo tempore primae leges sequebantur, serius τ recepisse puto. Tum Θαλῆ-ς huc pertinet, quod quum ex Θαλέα-ς ortum sit [53]), eodem suffixo formatum est, quo Πυθέα-ς, Χαιρέας, Θρασέα-ς, et quamquam haec primam, nihilo minus τ litterae ope tertiam declinationem sequitur [54]).

---

48) Il. κ, 575. χρωτός legitur, et in duobus Odysseae versibus χρῶτ' ἀπονιψαμένη; quibus exceptis semper formae sine τ in Homericis carminibus inveniuntur.

49) Buttm. I., p. 222—225.

50) Bekk. Anecdd. p. 1197.

51) Buttm. I., p. 207.; Damm, lex. Hom. s. v.

52) Buttm. I., p. 205.; Prisc. VI., 11.; Bekk. Anecdd. p. 1188.

53) Bekk. Anecdd. p. 1380.

54) Latinum quie-s cum his comparari potest; hujus enim antiquissimae formae sine *t* littera sunt, quae deinde cum tertiae declinationis suffixis irrepsit. Voss. de analog. II., 20.; Prisc. VI., 11. p. 255. ed. Krehl: Recipitur quies, quietis; vetustissimi tamen hoc quoque secundum supradictam (quintam) proferebant declinationem.

Pauca quoque in ι nomina exempla insertae τ literae nobis praebent, velut χάρι-ς, χάριτος, cuius accusativus χάριν satis aperte demonstrat, τ non primitivum esse; μέλι - μέλιτος, cui brevius mel comparetur, in quo si τ genuinum esset, haud dubie in nominativo eodem modo in ς mutaretur, quo in τετυφός a themate τετυφότ; θέμι-ς, cuius genitivus aut θέμι-ος (Ionice) aut θέμι-δ-ος, aut θεμι-τ-ος, aut θέμιστος formam habet [55]); propter terminationem vero δύνα-μι-ς et φῆ-μι-ς conferenda sunt.

Atque etiam in nominibus derivatis in τη-τ serioris originis esse videtur τ littera. Illud enim suffixum Latino *tat* et *tut* respondet, ac Sanscrito *tá*, quod prorsus eodem modo ab adiectivis substantiva abstracta derivat; quam ob rem conferas

pṛthutá - πλατύτη-τ
prêshjatá - δουλότη-τ
bahutá - παχύτη-τ
mahatá - μεγαλότη-τ

Apud Latinos eius formae, quam Sanscrita lingua praebet, similiora sunt nomina in *ta,* quae vocabulis in *tat* et *tut* aequiparantur. Iuxta enim invenimus *senecta, senectu-(t)s*
juventa, juventa-(t)s, juventu-(t)s

Ac nescio an apud Graecos ἀρετή antiquioris sine τ formae exemplum sit, quod Pottius ad Sanscr. *vara* (egregius, electus) trahit [56]), quamquam digamma apud Homerum non habet. — Denique vel quibusdam vocabulis quae in consonam exeunt, τ addiderunt, velut ἄναξ- ἄνακτ-ος, γάλακ - γάλακτ-ος; eandemque huius litterae rationem esse puto in nominibus in μα-τ, de quibus infra dicetur, atque etiam in γόνατ, δόρατ, quae formae casibus obliquis γόνυ et δόρυ vocabulorum (*g'ánu, dáru*) supponuntur, τ serioris originis esse videtur.

Suspicetur aliquis, alias quoque litteras interdum hoc, quem exposuimus, modo thematis addi. Et maxime hoc de κ littera probabile est, quam ut *c* in Latino *genitri-c-s,* ita in Graeco διφρά-κ-ς, aliisque quae cum formis in ά-ς mutantur, serius affixam esse, putaveris. Sed quum ιγξ et αξ [57]) (i. e. ιγκ-ς, ακ-ς) syllabae vere derivativae esse videantur (λᾶϊγξ),

---

[55]) Cf. Bekk. Anecdd. p. 1188.; Buttm. I. p. 227.
[56]) Et. F. I. p. 222.
[57]) Cf. Lob. Paralipp. p. 126.

cunctanter et caute de hac re diserendum est, quum praesertim dialecti in his formis valde differant. Verum qui hac de re accuratius acturus est, ei etiam verba comparanda sunt, quorum multa consonae ope a nominum thematis derivantur, velut *νεο - νεώσσω*, i.e. *νεωχ-ιω* [58]) (cf. *νεωχμός*), *λιμώσσω*, *ὑγρώσσω*, *ἀλλάσσω*; alia fere immutata notione radici litteram addunt; quapropter

τρύχω et *τρύω*
ψήχω - *ψάω*
σμήχω - *σμάω*
τρύπη, *τρυπάω* et *τρύω*, *τρέω* [59])

comparentur. Quae omnia, a nostra quaestione aliena propterea tantum attulimus, ut nostram de consonis serius affixis sententiam confirmaremus. Iam vero a consonis ad vocales transeundum est, quae immutata significatione quorumdam nominum thematis adduntur.

Valet autem in omnibus linguis commoditas quaedam [60]), qua fit ut rariores formas sensim repudient, et aboleant, difficiliorumque in locum magis vulgares quasdam facilioresque tractatu supponant [61]). Sic magna suffixorum copia paulatim deminuitur, formarumque varietate gratarum vicem magis uniformes unisonasque voces occupare videmus. Quod quantopere apud recentiores, cum eos, qui a Romanis sermonem acceperunt, tum in Germanica lingua factum sit, constat. Sed ne ab antiquis quidem linguis prorsus alienum est. Degenerarunt autem duplici modo — ut de ceteris taceam — suffixa nominalia; aut consonas abiecerunt, vocalesque minus usitatas in magis vulgares mutaverunt; aut suffixis minus commodis vocales additae sunt, quae in omnium ore erant [62]). Utrumque genus optime in compositis cognoscitur; ea enim ut omnino non adeo religiose singulas compositorum vocabulorum partes conservant, ita et saepissime stirpibus consona-terminatis *ο* affigunt, velut *ἑκατόγχειρ-ο-ς*, *εὔριν-ο-ς* [63]), neque minus frequenter magis usitatam litteram inusitatae in locum ponunt, quod

---

[58]) vid. Bopp. Vergl. Gramm. p. 724.

[59]) cf. quae Pottius de auctis Sanscritae linguae radicibus disserit, Etym. Forsch. I. p. 167. sqq.

[60]) seu negligentiam dixeris.

[61]) qua de re praeclare loquitur Boppius Vocal. p. 115.

[62]) Pottius hac de re locutus est E. F. II. p. 375.

[63]) quod neque Sanscritae linguae alienum est, quae ex *bhadra* et *mâtṛ* facit *bhâdramaturâ* [*ὀλβιόμητρος*].

fit in *μεγαλόσωμος* (*σῶμα-τ*), *Πόλυβο-ς* (*βοῦ-ς*), *ἀρτίπο-ς* (*πού-ς*)[64]). Additur autem illo modo vocalis etiam in simplicibus. Nam si in Sanscrito sermone participio praesentis, cuius plenissima terminatio est *ant*, interdum a additur: *nandajant* - *nandajanta* - exhilarator
mandajant - *mandajanta* - exornator
g'ajant - *g'ajanta* - victor[65])
hoc quam maxime huc pertinet. Similiter *mâna* et *âna* ex *mân* et *ân* factum esse infra probabimus. Sed quod apud Indos rarissime invenitur, in Graecorum Romanorumque sermone saepius cernitur. Latini enim quum nomina in *u* desuevissent flectere, quae sic terminata ex oriente secum tulerant, in magis notam nominum in *i* flexionem transposuerunt.
Ex *laghu* enim *lev-i-s* (pro *leg-vi-s*) - *ἐλαχύ-ς*
tanu — *ten-u-i-s* —
svâdu — *sua-v-is* (pro *suad-vi-s* *ἡδύ-ς*)[66])
factum est. Iidem *i* adeo adamarunt, ut multis nominibus, quae in consonam desinunt, adderent; hoc enim modo explicatur *i* vocalis in *mont-i-um, civitat-i-um*[67]). In primam declinationem transfertur *auror-a*, quod Sanscrito *ushas*, Graeco *αὔ(σ)ως*[68]) respondet; *Ancona* pro Graeco *Ἄγκων*; vocabula in *ura* (figura) eodem modo ex brevioribus in *or* (cf. *vigor, decor*), ut nomina in *tura* ex iis, quae in *tor* desinunt facta esse videntur (*praetor* - *praetura*). Ex Graeca lingua quae huc pertineant, et qua auctoritate nitantur, doctissime exponit Lobeckius (Paralipp. p. 142. sqq.). Multa enim ex themate consona terminato in primam vel secundam declinationem transferuntur, velut: *Δάκ-ς* - *Δάκο-ς*, *φύλακ-ς* - *φύλακο-ς*, *ἀτμήν* (thema *ἀτμεν*) *ἀτμένο-ς*, *δαί-ς* (thema *δαιτ*) - *δαίτη*, *Γηρύων(ον)*-*Γηρύονη-ς* - *Γηρυονεύς*, *μέλα-ς(αν)* - *Μέλανος*, *Δημήτηρ(τερ)* - *Δήμητρα*, cuius accusati-

---

[64]) Od. 18., 310.

[65]) quibuscum *ἐθελον-τή-ς* comparandum est; nam *ἐθελοντήρ* contra normam formatum esse videtur, omnique analogia caret.

[66]) cf. *βραχύ-ς* - brevis; *βραδύ-ς* contra et *δασύς* in secundam declinationem translata sunt: bardu-s, densu-s. Cf. Pott. E. F. II. p. 279.

[67]) vid. Bopp Vergl. Gr. p. 160.; *canis* quoque ita explicandum est, ut stirpi, omnibus fere linguis Europaicis communi *cun, cvan, can* i additum sit; neque alia est ratio inter Latinum *iuven-i-s* et Sanscr. *juvan*. Vid. Bopp D. Kelt. Sprachen p. 85.

[68]) Pott E. F. I. p. 138.; *ushas* feminini generis est in *hymnis Vêdicis*. Lassen Anth. pag. 97.

vus τὴν Δήμητραν apud bonos auctores legitur (vid. Lob. l. c.). Haec ex ipsius Graecae monumentis discimus, alia comparatis linguis propinquis. Quo illa pertinent, de quibus praeclare Boppius disseruit [69]) feminina adiectivorum in *αν*, *εν* velut *τάλαινα* pro *ταλαν-ια*, *τέρεινα* pro *τερεν-ια*, nominumque in *τηρ*, quae aut *α* addito, (ὀρχήστρι-α) aut *δ* littera recepta, (ληστρῖ-δ) flectuntur [70]); ita ut in his duplicem illum augendi morem alternare videamus. Ceterum latissime patet *α* litterae in femininis affixae usus: ἡδεῖ-α = ἡδϝι-α, *ουσ-α* (*οντι-α*), *εισ-α*, *εσσ-α*, *ἆσ-α*, *ῦσ-α*, quae omnia ideo tantum afferimus, ut conspiciatur, quam frequenter haec littera addatur. Alia huius rei exempla infra nobis occurrent.

Ab hoc autem addendarum litterarum modo distnguenda est linguae quaedam abundantia, secundum quam non propter commodam negligentiam, neque hiatus vitandi causa, sed plenioris soni captandi gratia, haud inclinata significatione; nominis themati interdum altera terminatio additur. Quo fortiore sono intentior quidem vocabuli significatio fieri potest; sed non proprie immutatur, neque traducitur ab adiectivorum in substantivorum, vel ab horum in illorum ordinem, qua in re vera suffixorum vis cernitur. Romani autem, quantopere numeros orationis sonumque plenum diligant, etiam in nominibus formandis probant. Duplex enim apud eos suffixum saepe deprehenditur, e. g. si

sem-en	cum	*sem-en-ti-s*
veru	-	*veru-tu-m*
pect-*en*	-	tol-*en-o*(*n*)
vir-*tu-t*	-	beati-*tu-din*

comparamus. Deinde *ti* suffixum, quod praecipue abstracta format in lingua Sanscrita, Graecaque (*τι* et *σι*), et in Latino *pes-ti-s, fus-ti-s* nudum conspicitur, in *ac-ti-o*(*n*) multisque aliis *on*; in *int-ti-um u*, sive *o* dicas, ut alterum suffixum in se recipit. Similia sunt *fac-in-us* quocum *unguen*(*in*), *it-in-er*, quocum nominativus *it-er* conferatur; neque minus in *doc-tri-na pis-tri-na* suffixa cumulata sunt. Graeci sicut omnino modum rebus adhibere sciebant, ita raro abundanter suffixis usi sunt. In *φαιδιμό-εντ* ta-

---

[69]) Vergl. Gr. p. 139. sq., conferatur etiam Ahrens de diall. Aeolicis p. 54.

[70]) accedit tertia ratio, ut *ι* transponatur in syllabam priorem: *γενέτειρα* pro *γενετ*(*ε*)*ρια*.

men, Ἀργεννό-εσσαι[71]), σιγαλό-εντ, παιπαλό-εντ (quod antiquissimum est) tale quid factum esse videtur. Neque ἀλεκ-τρυ-όν(ών) simplex esse videtur, si brevius ἀλέκτορ comparamus, quod ab ἀλέκειν, ἀλέξασθαι deducendum est ita ut gallus ut animal pugnax et ad defendendum pronum designetur[72]).

DE CONSONIS INTER STIRPES ET SUFFIXA INSERTIS.

Ac tantum quidem de distinguendis primitivis et derivatis dictum sit. Quam in rem nunc propterea inquisivimus, quod iam derivata i. e. denominativa (vid. pag. 2.) a nostra quaestione excludimus et in posterum in solis primitivis versabimur. In his autem summi momenti est quaestio, quibus indiciis radix a suffixo distinguatur. Quae magni sane ambitus est, si funditus perquiretur et enucleabitur; omnium enim radicum Graecarum tractationem requiret, rem difficilem, quaeque summam eruditionem, iudicii acumen, subtilitatem postulet. Verum huic ut vires nostras pares habeamus, tantum abest, ut ne tangere quidem illam conemur. Sed quamquam multa de suffixis dubia manebunt, donec radices, quarum ingens multitudo vix tractari coepta est, accuratius cognoscentur, tamen rursus has consideranti suffixorum cognitione opus est. Itaque quum haec studia invicem se excipiant, pauca de illo radicis et suffixi discrimine, quae ex suffixorum studio colligi posse videntur, hic adumbrabo. Quantulumcunque enim de radicibus constat, hoc iam nunc certo contendi potest, in quibusdam nominibus inter radicem et suffixum aliquid interiectum esse, quod neque huic, neque illi recte adscribi possit. Eo modo et vocales interponuntur et consonae. De vocalibus autem copulandi gratia interpositis, qualis est ε in εὕρ-ε-σι-ς, ἀρχ-έ-τη-ς, μελ-έ-τη, φέρ-ε-τρο-ν nunc tacebo. Neque δ litteram, aliasque tractabo, quae, ut vidimus[73]), interdum cum radice suffixa copulant. Sed omnibus his in medio relictis, mentionem inferam σ et ϑ litterarum, quae non copulandi

---

71) ab ἄργεννο-ς Aeolica pro ἀργεινός forma (de qua cf. Ahrens de d. A. p. 52.) a rad. ἀργ = *râg' - râg'ata* = *argentum* etc. vid. Pott. E. F. I., p. 237.

72) De suffixorum abundantia, qualis in lingua Germanica sit, vide Grimmium, Deutsche Gramm. II., p. 91.

73) σχέ-δ-ιο-ς etc., vid. p. 7.

causa - nam etiam post consonas reperiuntur - sed, ut videtur, ad augendam radicem inseruntur. Attamen hoc diversum est ab eo, quod interdum in ipsa Graeca et in cognatis linguis fieri videmus, ut radicibus addatur consona aliqua [74]). Huius enim ope novae quodammodo radices gignuntur, quae simplicium instar per magnum formarum ambitum, variis suffixis et terminationibus auctae, ducuntur; σ et ϑ litteras contra a Graecis in singulis tantum quarundam radicum formis deprehendimus, raro in pluribus [75]). Verum similiter Romani a radicibus quibusdam formas cum s, quae simplicioribus sine s comparantur, facere solent - velut *noc-s-a*, quod cum *fug-a*, *noc-s-iu-s*, quod cum *gen-iu-s*, *parsimonia*, quod cum *parcimonia* conferatur. — Haec sicut vulgo ex participio perfecti passivi deducuntur, ita formae Graecae, quae σ habent, a grammaticis veteribus recentiorumque iis, qui eorum rationem sequuntur [76]), derivantur a futuro, ex eo more, secundum quem semper ex temporibus varias nominum figuras repetunt. Quae ratio, iam a Buttmanno labefactata [77]), secundum emendatam nostro tempore grammaticam legemque, quae comparatione cognatarum linguarum inventa est, ut ad radicem singulae formae verbales reducantur, prorsus reiicienda est. Exempla autem insertae σ litterae affero: quae in ο-ς terminantur: *πέτασ-ο-ς*, *φρίξ-ό-ς*, *καῦσ-ο-ς*, *ὀρσό-ς*, *καμψός*, *ῥυσός*, *μυσός* (Hesych. = *μυσαρός*), *τραυσός* [78]), *ἀψός*, *γέλασος*, *κραύγασος*, neutra *τέλσον* et *τόξον*, illud a *τελ* radice quae est in *τέλος*, hoc eiusdem originis atque *τέχ-νη* [79]). Feminina *πεῖσα*, *δόξα*, *κάμψα*, *ἄση* huc pertinent; et ex nominibus in *ώ* comparentur inter se: *πειθώ*, *ἠχώ*, *φειδώ*, *εἰκώ* et *Ἀναξώ*, *Πραξώ*, *Καλυψώ*, *Ἰασώ*. Eadem differentia est inter *βλέπος*, *λέχος*, *τεῦχος* et *ἄψος*; *στέφανο-ς*, *πόπανο-ν*, *ξόανο-ν* et *λείψανο-ν*; *ἀξίνη* haud dubie a rad. *ἀγ* (frangere) derivatur, unde etiam *ἄξο-ς* repetitur, quod pro vulgari *ἀγμό-ς* dictum esse, lexica tradunt (Passow). Dein sicut in *πιθ-ανό-ς*, *ἰδ-*

---

74) Cf. Pott E. F. I., p. 167.

75) quod fit in *τραυσό-ς* et *τραύσανο-ς*; *Παύσων*, *Παυσίας*, *παυσωλή*.

76) Lobeckius proprium de nominum verbalium descriptione libellum conscripsit, in quo haec vocabula tractavit.

77) Gr. II., p. 311. annot. Ipse hoc σ ex aoristo venire docet ib. p. 313. annot.

78) Quaedam enumerat Herodianus *περὶ μονήρους λέξεως* pag. 38. ed. Dindorf, alia Lobeckius l. l.

79) in quo κ, quod in *τετυκόντο* et si recte ab eadem radice repetitur in *τί-κτω* (ut videtur pro *τι-τ(ε)κω*, ut *μί-μνω*, *πί-πτω*) apparet, ante ν in aspiratam conversum est; cf. infra.

ανό-ς, aliis purae radici, ita in τραύσανο-ς[80]) stirpi per σ auctae ανο-ς affigitur; cum Φειδία-ς, Νικία-ς comparentur Τισία-ς, Σωσία-ς, Παυσία-ς, Λυσία-ς, cum Χάρων, Κύφων, Λάμπων-Παύσων; cum ἐχυρό-ς, φλεγυρό-ς-ἀησυρό-ς. De adiectivis in σιο-ς velut λύσιο-ς ὀρθώσιο-ς, ἀσπάσιο-ς, κτήσιος, quibuscum ἅγιο-ς, πάγιο-ς comparari possunt, dubitaveris, num ut illa σ litteram addiderint, an a nominibus abstractis in σι-ς derivata, vel secundum eorum analogiam formata sint. In quo notandum est, abstracta in σι-ς interdum quantitate ab his adiectivis distingui: velut λῡσιο-ς-λῠσι-ς, στήσιο-ς-στᾰσι-ς, alia adiectiva nomina, unde deriventur, non habere; ἄσπασι-ς enim, ex quo ἀσπάσιο-ς ortum sit, non invenitur, neque magis ἄξι-ς (cf. ἄξιο-ς a rad. ἀγ, quae etiam de pondere usurpatur[81]), γνῆσι-ς (γνήσιος), ἀλάλαξι-ς (ἀλαλάξιο-ς). Quare, quum praesertim eorum significatio artificiosius interdum ex abstractis in σι-ς repetenda esset, fortasse illa omnia ad formas, quae σ inserunt, referre oportet. Quod etiam de quibusdam in σιμο-ς conieceris, velut φύξιμο-ς cuius significatio Od. 5., 359.[82]) fere adiectivi verbalis similis est; quamquam de adiectivis in ιμο-ς conferenda sunt, quae supra diximus (pag. 5.). Tum composita vocabula huc traho, quae quum a verbo incipiant, hoc per σι syllabam cum substantivo coniungunt[83]); similiter enim sibi respondent

τερπι-κέραυνος et Τερψι-χόρη

atque ἠχώ et Ἀναξώ ceteraeque formae sine σ factae iis, quae hac littera utuntur. Neque aliter iudicandum est de iis, quae inter radicem et σ vocalem inserunt, velut Ἀγεσίλαος (cf. Ἀγέλαος Il. Θ. 257.), Ἀρχεσίλαος (Ἀρχέλαος), ἑλκεσίπεπλος (ἑλκεχίτων). Omnia enim illa a substantivis in σι-ς derivare vetat primum quantitas, quae in multis illorum vocabulorum a quantitate radicalis syllabae nominum in σι-ς diversa est:

στᾰσι-ς	Στησίχορο-ς
πρόδοσι-ς	προδωσέταιρος

---

80) Lob. l. l. p. 5.

81) Vid. Passow. in lex.

82) — — — ἐπεὶ ἑκὰς ὀφθαλμοῖσιν
γαῖαν ἐγὼ ἰδόμην, ὅθι μοι φάτο φύξιμον εἶναι.

83) quibus etiam βασιλεύς adnumero, quod a rad. βα, quae saepe causativam notionem habet (Il. ε, 164.; Pind. Ol. 6., 24.) et λαός, λεώς (cf. Λευτυχίδης, Herod. VI., 65. — Λεωτυχίδης, Thucyd. I., 89.) ortum, nostroque herzog, Graeco στρατηγός comparandum est. — Quae explicatio simplicior mihi videtur ea quam Pottius E. F. II. p. 272. dedit.

φῦσι-ς φυσίζωος
λῦσι-ς λυσίζωνος

deinde quod complura eiusmodi quibuscum comparentur nomina non habent (δεισιδαίμων, ἀγεσίστρατος, ἀρχεσίμολπος κλεψίγαμος), tum quod aliae quoque, quam ι vocales in his inveniuntur (στρεψόδικος, ῥιψοκίνδυνος, περσέπολις) neque solum ante vocales ι eliditur[84] (φερέσβιος). Denique significatio maxime contorta est, si φθισ-ήνωρ explicamus, ὁ τῶν ἀνδρῶν φθίσιν ἔχων seu παρέχων; nam in possessivorum[85] classem referenda sunt illa composita, si ex substantivis ea derivare volumus. Accedit ea difficultas, quod composita possessiva, velut μακρόχειρ, χαλκεόφωνος, *magnanimus*, *Löwenherz*, *vigm-ânçu* (calidos radios habens) substantivum, cuius possessio edicitur in fine habere solent[86]; quamobrem si Graeci ex γάμο-ς et κλέψι-ς compositum possessivum formare voluissent, mutato ordine, γαμόκλεψι-ς (i. e. γάμου κλέψιν ἔχων) dixissent. Itaque quum tot tantisque causis prohibeamur, quominus composita illa a nominibus in σι-ς derivemus, rectius nobis videmur statuere, σ in iis, sicut in ceteris, quae attulimus exemplis, stirpi additum, ι autem copulandi gratia ante consonas insertum esse (Τερψ-ι-χόρη ut τερπ-ι-κέραυνος; ῥιψ-ο-κίνδυνος ut λιπ-ό-ναυς; περσ-έ-πολις ut ἀρχ-έ-κακος)[87].

Breviores erimus de θ littera, quae et in verbalibus quibusdam formis, quas Kühnerus collegit (I., 194. sqq.), velut ἀλήθω, πρήθω, ἠμύναθον, ἠγερέθονται, et in nominibus varie terminatis stirpi additur. Nomina autem quae in ο-ς desinunt, haud pauca huc pertinent: μόχθος, quod cum μόγος cognatum esse videtur, μόθος, quod ad μα radicem traxeris; γνάθος, quod cum γέν-υ-ς et Sancr. *hanu* a rad. *han* conferendum est[88] (cf.

---

[84]) quae littera in compositis cum substantivis in σι nominibus vel ante vocalem servatur (ταξίαρχος).

[85]) Cf. Bopp Sctgr. p. 338.; Pott E. F. II. p. 393.

[86]) Cf. praeter Sanscrita composita Bahuvrîhi ea quae Pottius II. p. 395. sqq. enumerat.

[87]) Benaryus igitur si quaerit (Lautl. I. p. 138. Anm.), unde in his compositis σ veniat, nisi ex σι suffixo, huic quaestioni iis quae praebuimus exemplis respondisse videmur. — Simplicior etiam nostra ratio videtur, quam ea, quam Grimmius (gramm. theot. II., 976. sqq.) ingeniosis quidem, sed non satis firmis causis defendit. Ab imperativo enim futuri deperdito ille ἀρξι, κλεψι syllabas ortas esse putat; cui sententiae quae obstant, cetera praetermittam; sed hoc tantum dicam, imperativum futuri ex praesentis analogia non ι sed ε vocalem requirere. Alia profert Pottius l. c. p. 393.

[88]) vid. Savelsberg Quaestiones etymologicae de radicibus Graecis p. 24.

γναθμός). Praetereo alia minus aperta (λίθος, ὄχθος, πλίνθος etc.); μισθός autem a rad. *má* Sanscrita repetendum esse videtur, quae in μέ-τρο-ν conspicitur. Haec iam in Sanscrito participio *mi-ta* *á* vocalem in tenuiorem *i* mutavit. In μισθό-ς vocabulo autem hanc σθ litteras in se recepisse, sicut rad. *i* in ἰ-σθ-μό-ς (cf. ἱμά-σθ-λη) probabile est. Optime enim quadrat significatio: ὁ μισθό-ς, merces, est id, quod cuique metiendo tribuitur (*was jedem zugemessen wird*). ψάμαθος (cf. ψάμμος), ἄμαθος (cf. ἄμμος,) κύαθος (fortasse a radice κυ-κυέω) ut ἠμύναθον αθ syllabam in se receperunt, κριθή eadem littera aucta est (cf. Homericum κρῖ). — Tum quaedam neutra in ος terminata θ habent, velut ἔσθος (cf. ἐσθής) a rad. ἐς seu ϝες (*ves-tis*, S. *vas*), ἄχθος, quocum ἄχος comparetur, στῆθος quod fortasse a rad. στα (ἵστημι) descendit, ita ut pectus [89]) tamquam firmum quiddam designatum sit. — Mere euphonica contra est θ littera ante μο-ς, μη, μα suffixa (ὀρχηθμός, ἴθμη, ἄσθμα), quae huc non pertinent.

DE VOCALIUM IN NOMINIBUS EX RADICE FORMATIS MUTATIONE.

Gravissima porro in tractandis nominibus Graecis est quaestio de mutatione radicis. In qua formam eam, quae in verbo occurrit, primitivam dicere solemus, et, si quid in nomine aliquo ab hac diversum invenitur, id ut mutatione factum designamus. Mutantur autem praecipue radicum vocales. Ac primum quidem aperte augentur, aut simpliciter (ὀπ-ὤψ, λαθ-λέληθα, λήθη), aut ita, ut diphthongus efficiatur (ἰδ-εἶδος, τυχ-τεῦχος). Quem in modum quando quibusve sub conditionibus radices augeantur, vix certo constitui potest. Rationem autem propter quam augeantur, divinare possumus: scilicet, ut aucto pondere caveatur, ne radicalis syllaba suffixorum vi opprimatur et quasi obscuretur. In quo Graeci Sanscritae linguae copiam si non attigerunt [90]), simile tamen quiddam, atque haec, voluisse et quasi tentasse videntur. — Saepius alia mutatio apud Graecos invenitur; α, ε et ο litterae enim tam in verbis flectendis, quam in formandis nominibus inter se permutantur; atque raro quidem in nominum formatione α et ε alternant, saepissime pro ε vocali, quae in radice est,

---

[89]) quod a *pag* (*pango*) factum esse conieceris.

[90]) Cf. Guilelm. a Humboldt, in praefatione ad librum: die Kawisprache p. CLX. sqq., ubi de *guna* et *vṛddhi*, quae sit eorum vis et ratio, praeclare disseritur.

ο in nomine inde propagato occurrit. Varia de hac re viri doctissimi, Boppius et Pottius docuerunt. Boppius enim, quod in perfecto secundo *ε* in *ο* mutetur, hoc propter sequentem *α* vocalem fieri suspicatus est[91]), Pottius nomina in *ο*, *α*, *η* terminata fere sola mutationem illam habere contendit, quas vocales similiter atque *α* perfecti sono suo, ut *ε* in *ο* mutetur, efficere existimat[92]). Verum ante omnes vocales *ε* in *ο* mutatur, et quaecunque est in finali syllaba, rursus ante omnes in aliis exemplis *ε* immutatum manet:

α - *τέτροφα φορά — τέρμα, θρέμμα, φρέαρ, δέρας, σκέπας, θέμα, ἐθάς*
ι - *στρόφι-ς, τρόχι-ς, τρόπι-ς, τρόφι-ς — σκέψι-ς, ἔρι-ς, μερί-ς*
η - *γονή τροπή, μονή — σκέπη, στέγη, ὠκυπέτης, εὐσεβής*
ο - *λόγο-ς, τροφό-ς, πορθμό-ς — ἔρο-ς, ἔργο-ν, θεσμό-ς, πέπων, ἔμετο-ς, ἑρπετό-ν, δρέπανο-ν*
ευ - *τροφεύ-ς, γονεύ-ς, λογεύ-ς* etc.

atque etiam in vocabulis nullius suffixi ope formatis modo mutatur *ε* littera (*φλόξ, ὄψ*(*ϝεπ*), *πόδ* (*πους* rad. *πεδ*)), modo non mutatur (*φλέψ, ἐπίτεξ, βοῦκλεψ*). Quae satis probare videntur, propter finalis syllabae vocalem illam mutationem non fieri[93]). — Idem Pottius[94]) liquidas in causa fuisse putat. Sed ne hoc quidem linguae Graecae usu comprobatur; primum enim permulta nomina, in quibus liquida est, *ε* vocalem immutatam praebent: *φέρετρον, φαρέτρα, δέρας, θρέμμα, τέρμων, ἔργον, ἐργάνη, ἔρος, δρέπανον, φλέψ, βλέπος, τέλος, φέγγος, στέμμα* etc., deinde multa proferri possunt, quae, quamquam liquida carent, tamen *ε* in *ο* mutatum habent: *ὄχος, ὀχάνη, ὀχυρός, ὀδύνη* (Aeol. *ἐδύνη*), *ὀδούς* (Aeol. *ἐδούς*), *τοκός, τοκετός, σκοπός, ψόγος, φόβος, ποκή, δοχή, ὄψον, πόπανον, ὄψ*. Quare etsi concedi debet, frequentissime cum liquidis coniunctam esse mutationem illam, tamen, quominus in his litteris causam eius positam esse dicamus, vel propter harum sonum ante certas quasdam finales syllabas *ε* in *ο* mutari statuamus, tanta exemplorum aliter comparatorum copia nos prohibet. Ita-

---

91) Vocalismus p. 40.

92) Etymol. Forschungen I., p. 63.: Nomina mit dem Umlaut *ο* sind fast nur solche nach der zweiten oder ersten Decl., deren Grundform also mit *ο*, *α* (*η*) schliesst etc.

93) Eiusmodi trope, quam Pottius (II. 400.) recte mechanicam dicit, haud dubie facta est in *ὄροφος, ὑψόροφος*, si cum *ἔρεφος, ὑψερεφής* et in *ὀβολός*, si cum *ὀβελός* comparatur (*ἡμιωβέλιον*).

94) ibid. I. p. 14.

que alia nobis ratio quaerenda est, si non ea, quae in unoquoque vocabulo cur *ε* mutatum sit necne, nos doceat, — quam inveniri posse dubito — sed eiusmodi ratio, qualis saepe in linguis valet, quae non semper observetur, neque tamen negari possit. In quo negotio, ni fallor, verborum Graecorum coniugatio nobis facem praeferet. In perfecto enim secundo longae syllabae personarum terminationes affigi solent[95]). Radicalis igitur syllaba si non per se longa est, producatur oportet (*λαϑ-λέληϑα, ὀδ-ὄδωδα, τυχ-τέτευχα, ϝιδ-ϝοῖδα*). Solae eximuntur ab hac lege radices, quae *ε* vocalem habent[96]); eae enim neglecta productione hanc in *ο* mutant (*τεκ-τέτοκα; τρεφ-τέτροφα*). Unde nescio an recte concludi possit, similem inter *α* et *η*, *ο* et *ω*, *υ* et *ευ*, *ι* et *οι* vel *ει* rationem atque inter *ε* et *ο* intercedere, eam nimirum, ut *ο* *ε* **litteram pondere superet**[97]). Quamquam enim *ε*, *α*, *ο* eidem primitivae a litterae respondent, hoc tamen non impedit, quominus inter haec gravitatis aliquod discrimen sit, quale inter *a, i, u* vocales admirabili ingenii accumine detexit Boppius. Itaque dupliciter radicalem syllabam augere poterant Graeci, graviore modo, quum vocalem producebant — quod in omnibus vocalibus fieri potuit — leviore, quum pro *ε ο* litteram ponebant; unde effecta est sonorum quaedam varietas, quam Graeci minime sprevisse videntur, summopere grata[98]). — Quodsi interdum pro *α* littera *ο* positum videmus, velut

ἀρχ - ὄρχαμο-ς
ταλ, τλα - τόλμα (*τελα-μών*) (Pott I. p. 265.)
κνα - κνόη, κνόος, κνοῦς
ϑρα - ϑρήσασϑαι - ϑρόνο-ς
βαλ (*βέλος, βελόνη*) *βόλο-ς, βολη*
παλ (*πέλω*) *πάλο-ς - πόλο-ς*[99])

---

95) quod etiam in linguis cognatis fit: Sct. *g'agâma-gam*, Goth. *tai-tôk*(*tak*).

96) praeter *μελ-μέμηλα*.

97) Accedit, quod in verborum flexione *ο* interdum Sanscr. *â* respondet (*τύπτομες* - *tupâmas*, in quo non sola nasalis vis valuisse videtur; tum etiam in nominibus *ο* interdum *â* Sanscriti locum tenet; cf. *vâhas* - *ὄχος*
dâru - *δόρυ*
g'ânu - *γόνυ*

98) Romani similem vocalis tropen habere videntur; *precor-prex-procus*; *tego-toga*; *pendeo-pondus*; *fero-for(t-)s*? *sero-sor(t-)s*?

99) *παλ* et *πελ* radices enim non separandae sunt.

utrum ex his exemplis de *α* et *ο* vocalium pondere quidquam colligi possit, an fortuito potius et varietatis causa illae secundum *ε* et *ο* litterarum exemplum nonnumquam alternent, dubitare possumus. Mihi vero hoc probabilius esse videtur.

DE SUFFIXORUM SIGNIFICATIONE.

Hae quaestiones, quas paucis adumbravimus, aliaeque, quas ne tetigimus quidem, quum statim in vestibulo doctrinae de Graecis nominibus formandis positae sint, ipsam domum intrantibus, linguaeque quasi oeconomiam cognituris quaeritur, quem in modum magnam suffixorum multitudinem, qua in formandis ex radice nominibus Graeci utuntur, in ordinem redigere, aliisque sub conspectum ponere possimus. Ac plerumque quidem ita enumerantur suffixa, ut primum variae secundum significationis discrimina classes ponantur: nomina agentis, nomina instrumentorum, nomina abstracta, alia, tum doceatur, quibus suffixis in quaque classe lingua utatur. Quo fit ut primitiva et derivata, si modo sub commune personalium vel abstractorum nomen cadant, coniunctim tractentur, eademque suffixa, si varius eorum usus est, ratione, qua ex uno ad alterum perveniant, non exposita, bis vel saepius enarrentur [100]. Attamen ut lexicum male institues, si varias primum significationes in certas classes distribuas, deinde sub audiendi, videndi, eundi significatione doceas, quae harum cuique vocabula in ea, quam tractas, lingua respondeant, ita male suffixa ex solo significationis discrimine in ordinem redigentur. Immo et in lexico scribendo solus ordo verus et ex rei natura petitus is est, ut collectis vocabulorum stirpibus, quomodo ex his variae formae, ex primitiva autem cuiusque significatione notionis varietas orta sit, exponatur; et in suffixis tractandis primum quaeres, quae sint inter se cognata, quae cuiusque primitiva figura sit, hac autem inventa scrutaberis antiquissimum usum; ex illa forma illoque usu cetera tum deduces. Neque in hoc intra unius linguae terminos nos continebimus, sed libere, dummodo caute et prudenter, per ampliores complurium cognatarum linguarum campos vagari licet. Sin de suffixorum significatione loquor, quae non minus

---

[100]) Quamobrem Boppius et Grimmius in sua uterque grammatica et Pottius E. F. II. p. 459. sqq. aliter suffixa enumerarunt.

quam forma in unoquoque accurate perscrutanda est, priusquam de singulorum in enumeratione loco quidquam statuatur, me non ita intelligi volo, quasi sua cuiusque suffixi per se positi notio quondam fuerit; valde lubricum enim est de eiusmodi voculis iudicium, et quamquam negari non potest derivativas quasdam terminationes ex integris vocabulis ortas esse (είδης ex εἶδος, plura in lingua Sanscrita [101]), in nominibus ex radice factis tale quid factum esse dubito [102]). Quaeritur autem, annon, collectis quae quoque suffixo terminantur nominibus, significatio aliqua primitiva inveniri possit, abs qua orsis universum suffixi usum similiter intelligere liceat, atque radicis usum ex simplice notione ad magnam varietatem deductae. Atque ut radicum analogia diutius utamur, eas, quae vulgo abstracte usurpantur, fere ad magis concretam, quaeque sub sensus cadat, significationem reduci posse videmus. Cuius rei satis notae exempla, qualia sunt ἐπίστασθαι, συνιέναι, εἰδέναι [103]), *verstehen*, *begreifen*, vix est cur afferam. Explicatur hoc inde, quod in linguae generatione sensus magis quam ratio valuerit. Suffixa autem nominalia quum haud dubie ex antiquissimo tempore linguae inhaeserint, eorum quoque ea quae vulgo abstracte usurpentur, a concreta notione incepisse iam per se probabile est. Quod perquisitis linguis certum fit. Atque in Graeca maxime nullum videmus suffixum — eorum certe, quae ipsis radicibus affiguntur — sola abstracta notione usurpari. Immo comparata praecipue San-

---

[101]) velut *gôshta, kalpa*, cf. Boppii indicem syllabarum derivativarum (*taddhita*). Notiora sunt Germanica *haft, bar, lich* etc.

[102]) Boppius ex pronominum stirpibus suffixa nominalia orta esse docet in libello, quem scripsit: Ueber den Einfluss der Pronomina auf die Wortbildung. (Abhandlung der Akademie 1832.) Atque apparet, si omnino suffixa cum stirpibus coaluisse, non ex his quasi germinasse statuimus, longe verisimillimam esse v. ill. rationem. — In quam accuratius inquirere non est huius loci, quum praesertim quae nos de primitiva suffixorum significatione dicemus illi sententiae minime repugnent. Pottius si complura suffixa e verborum radicibus derivat, et vel *ṭr* ita dissecat, ut in *ṛ* vocali radicem *ṛ* (ire) latere putet, in hoc fateor me v. cl. assentiri non posse (cf. E. F. II., 459.); et magis mihi arridere Guil. a Humboldt sententiam: Durch die unerforschliche Selbstthätigkeit der Sprache brechen die Suffixa aus der Wurzel hervor und dies geschieht so lange und in so weit, als das schöpferische Vermögen der Sprache ausreicht. (Einleit. z. Kawispr. p. CXL. sq.)

[103]) de quo Pottio assentior, qui οἶδα et Sanscr. *vêda* recte cum *vindâmi* coniungit, (E. F. I. p. 25.) cui magis concreta inveniendi notio est. Similiter recentiores Graeci ἠξεύρω pro οἶδα usurpant.

scrita lingua, omnia illa etiam de personis usurpata esse videmus. Idem valet de instrumentorum suffixis, ac ne inter activam quidem passivamque significationem distinguitur. Quae omnia singulis exemplis probaturi sumus. Apparet igitur non certam ullius suffixi significationem neque alium suffixorum primitus usum fuisse, nisi ut ex radice nomen facerent [104]). Antiquissima autem nomina quum haud dubie concreta fuerint, et quum maxime nominum formatio cum generum usu arcte cohaereat, genere autem quasi anima rebus inspiretur, genusque a personis desumptum sit — *suffixa a personis designandis incepisse videntur.* Inde una cum genere etiam in rerum nomina et abstracta translata sunt. Atque adeo pellucida est linguae Graecae formatio, ut omnia, quibus in formandis ex radice nominibus utitur, suffixa ad primitivam formam reducta, de personis usurpari inveniamus. Quod Sanscrita praesertim lingua comparata comprobatur. Fuit igitur antiquissimo tempore — de hoc enim loquor — abundantia quaedam ut omnino formarum, ita suffixorum, significatione vix distinctorum. Atque ut varias videmus verbi, e. g. praeteriti temporis formas primum generari, easque seriore tempore, maxime a Graecis, varium in usum vocari, ita postea suffixorum quoque usus sensim certius constitutus est; ita ut personalis significationis, unde incipiendum esse videbatur, in quibusdam suffixis vix vestigia serventur, in aliis haec per omnia tempora fere sola valuerit. Quae nobis singula tractantibus clariora fient.

Summi autem in hoc momenti est generum differentia. Eadem enim suffixa, aut paulum mutata, saepe videmus genere converso prorsus alium usum habere. Cf. *ἡ μάν-τι-ς — ἡ πίσ-τι-ς, ὁ ἅρπαξ* (avarus) — *ἡ ἅρπαξ* (correptio). Quod non impedit, quominus coniunctim de varie usurpatis generibus loquamur, et eodem modo, quo in adiectivis a masculino, quod per se positum hominem designat (*ὁ ἀγαθό-ς*, bonus), neutrius generis notionem deducimus, quae si vocabulum absolute ponitur abstracta est (*τὸ ἀγαθόν*, bonum), sic in eo operam collocemus, ut quae inter varia eiusdem suffixi genera ratio intercedat, enucleemus. Quare de *a-s, â, a-m* seu *ο-ς, η* vel *α, ο-ν, u-s, a, u-m* suffixis, quibus *η-ς* quoque ad-

---

104) Praeclare hac de re Boppius dicit: der Sprachgebrauch legt gewöhnlich mehr Nebenbegriffe in die Wörter, als diese durch ihre wirklichen Elemente formell ausdrücken. Ueb. d. Einfl. d. Pron. a. d. W. p. 21

numerandum est, de *ανο-ς, ανη, ανο-ν, τρο-ς, τρα, τρο-ν, τι-ς* vel *σι-ς* masc. et fem. aliisque quae hunc in modum sibi respondent, ut de singulis suffixis per genera motis dicam. Solet autem feminini generis in nominum formatione ea vis esse, ut a personis ad abstractam notionem vocabulum deducat. *ἡ θέρμη* enim, adiectivi *θερμό-ς*[105]) femininum, calorem, *ἡ πινυτή* a *πινυτό-ς* prudentiam, *ἡ ἄκρα* ab *ἄκρο-ς* fastigium, *ἡ στενή* a *στενό-ς* angustias designat. Eodem pertinet adverbialis femininorum usus: *ἀπ' ἴσης, ἀπὸ πρώτης, δημοσίᾳ, ἰδίᾳ, πῇ, τῇ* etc. In quibusdam ne terminatione quidem mutata solum genus femininum sufficit, ut vocabulum ad rei significatum traducatur — velut *ἡ ἔρημο-ς* (desertum). Qua de re multa Lobeckius in dissertatione de nominibus adiectivi et substantivi generis ambiguis praeclare exposuit[106]). Ex Latina lingua adverbia in *e* huc afferri possunt. Quae quum antiquitus *d* in fine habuerint[107]), haud dubie, sicut ceterae formae in *d*, quae a nominibus descendunt, ex ablativis orta, atque quum *e* apud Latinos feminino generi proprium sit (in quinta decl.), ex femininis in *e* eodem modo, quo Latina adverbia in *od* Graecaque in *ως* (= *ωτ*) ex neutris vel masculinis facta sunt[108]). Neque a Germanica lingua hic usus abest. Afferuntur enim vocabula abstractae significationis, velut *gëbanti* (gratia), *quëdandi* (cantus)[109]); quae, ut Grimmius dicit, manifesta participia sunt, sed abstracte usurpantur vi generis feminini. Atque si *ung, ing* syllabae tum personas designant, tum in feminino genere actionem, nescio an hoc eidem huius generis vi tribuendum sit[110]). — Itaque sicut *ἡ πινυτή* a *πινυτό-ς* separari non potest, ita

---

105) in quo accentus discrimen notandum est.

106) Paralipp. p. 360. sqq.

107) *facillumed* in vetustissima inscriptione legitur; vid. K. L. Schneider Lat. Gramm. I, pag. 260.

108) Cf. Bopp Vergl. Gramm. p. 213. sqq.; Benary Röm. Lautl. I. p. 36. sqq.

109) Cf. Grimm Deutsche Gramm. II. p. 342.

110) Cf. ib. II., 348—365. Adverbia quoque in *ungo* cum his abstractis in *ung* cognata esse, suspicatur vir cl., quod egregie cum Latinorum in e adverbiorum usu convenit. — Ea vero, quae Lobeckius l. c. ex nostra lingua affert non omnia huc pertinent; brevis enim e vocalis nobis aeque in adiectivorum femininis pro antiquo *iu* et in abstractorum terminatione pro antiquiore *i* (*liupi*) usurpatur, ita ut *liebe* (amor) specie tantum cum feminino adiectivi *lieb* (cara) congruat, quum antiquiores inter *liupi* et *liupiu*(*u*) distinxerint. — De *i* terminatione cf. Grimm III. p. 502., idem de generum significatione praeclare disserit ib. p. 355. sq. Adde Pott E. F. II. p. 447.

ὁ ἀρχό-ς	et	ἡ ἀρχή
ὁ πομπό-ς	-	ἡ πομπή
ὁ ἀμοιβός	-	ἡ ἀμοιβή
(ἑκη) βόλο-ς	-	ἡ βολή
ὁ ἀοιδό-ς	-	ἡ ἀοιδή
φορό-ς	-	ἡ φορά
ὁ κλοπό-ς	-	ἡ κλοπή

sibi respondent, non enim suffixi, sed generis vi distinguuntur. Quod ut hic in aperto situm est, ita de multis Graecorum suffixis, quae actionem designant in nominibus ex radice formatis, probaturus sum. — Sed non solo feminino genere in hac re Graeci usi sunt. Masculina quoque in rebus abstractisque notionibus designandis saepe adhibita sunt. Rerum enim et abstracta nomina adeo miscentur et permutantur, ut saepe vix distingui possit, utri classi vocabulum tribuendum sit [111]). Masculinorum igitur abstracte usurpatorum exempla sunt: ὁ λόγο-ς, oratio, ὁ καμπτήρ, flexus, ὁ στέφανο-ς, corona, ὁ ὀρχηθμό-ς, saltatio; quae si confers cum ἀρετα-λόγο-ς (de virtute loquens), ὁ καμπτήρ (flectens), ὁ κοίρ-ανο-ς, ὄρχα-μο-ς, eadem suffixa utrique usui personae reique vel actionis designandae serviisse apparet. — Neutra autem proprie numquam in personarum nominibus usurpata esse per se intelligitur. Ea vero in lingua Graeca ita praecipue in usum vocata sunt ut res verbo effectas designent, velut τὸ πρᾶγμα, τὸ ξόανο-ν, τὸ ἔργο-ν, τὸ εἶδος (videndo enim figuram rei sub oculis positae nobis paramus et fingimus) Latina *facinus*, *iter*. Quamquam in nulla lingua intra tam certos fines ullius generis usus se continet. — Ac tantum quidem in universum dictum sit. Iam ad singula transeamus.

Incipiamus a simplicissima formatione, quae nullius suffixi ope fit. Non magnus est in omni sermone nominum sic factorum numerus, perpauca eorum sunt simplicia, paulo plura in compositorum fine conspiciuntur. In his igitur nominibus, velut φρίκ-ς, βήκ-ς [112]), Latinis *rec-s*, *lec-s*,

[111]) Cf. Grimm l. c. III. p. 478.: Uebrigens bedarf es kaum der Erinnerung, dass die Grenze zwischen sinnlichen und abstracten Subst. nicht scharf gezogen werden kann etc. — Frass ist sinnlich, wenn es das Gericht (cibus), abstract, wenn es die Handlung des Essens (esus) bedeutet. Cf. ἀοιδή, ἀρχή, φάτι-ς, γνώμη etc.

[112]) ς litteram enim ne quis pro suffixo habeat, quum sit nominativi signum, postquam Boppianae gr. comp. pp. 157. sqq. editae sunt, vix monendum est; quamquam Lobeckius

Sanscritis *judh, bhî-s,* quum thema a radice non distinguatur, genera quoque designari non possunt. Sed masculinum aeque et femininum genus in se recipiunt. Valet igitur hic mera generum vis; nam si masculina sic formata, velut ὁ κλώπ-ς, ὁ πτώκ-ς, ὁ κράκ-ς, ὁ θρίπ-ς, ὁ φθείρ, παιδότριπ-ς, Latina *duc-s, tibi-cen, praesid(ses), arti-fic(fex), armiger,* Sanscrita *dharmavid* (iustitiae gnarus), *g'alapî* (aquam bibens), actorem significant, feminina velut ἡ ὤπ-ς (ὀπ), ἡ (ϝ)ὄπ-ς (ϝεπ), ἡ φρίκ-ς, ἡ δήκ-ς (δακ), ἡ φλόκ-ς (φλεγ), *lec-s, pac-s, nec-s, luc-s* actionem vel rem designant, tum sane apertum est, non terminationis, quae nulla est, sed generis vi abstracta a concretis, res a personis distingui. Etiam masculini generis ad rem significandam usurpati exemplum adest — ὁ πού-ς, cuius thema est ποδ a rad. πεδ (cf. πέδον), Sanscritum *pad,* Latinum *ped.* Pedem igitur hae tres linguae, quibus suffixo usa Gothica accedit (*fôtu-s* = *pâd-a-s*), ab eundo nominant et quasi viatorem designant. Quod sicut hic in aperto positum, ita de reliquis quoque tenendum est ut exemplum rationis quae in rebus denotandis valere solet.

Eorum, quae a (ο, α, η) vocalis ope formantur, nominum masculina actoris servantur in omnibus linguis, velut Sanscritum *vjâdha* (a *vjadh*) venator, *sarpa* serpens (*srp*), ἀγό-ς, σκοπό-ς. ἀρχό-ς, πομπό-ς, Latinum *procu-s,* quo a rad. *prec* (*precari* St. *prak'h,* nostrum *fragen*) repetendum esse videtur. Minus graviter autem hanc terminationem veterum Graecorum auribus sonuisse puto, quam qua personae agentes vulgo designarentur. Itaque rara sunt eiusmodi vocabula simplicia. Frequentissime contra hic usus primitivus in compositis servatur, quae saepe antiquiorem quam simplicia analogiam sequuntur, velut ἐπες-βόλο-ς, πυρ-φόρο-ς, ὠμοφάγο-ς, εἰροπόκο-ς, φυτοσπόρο-ς, Ἱππημολγό-ς, quibuscum Sanscritum *dhanan-g'aja-s, su-kara-s,* Latinum *causidicus, profugu-s* comparetur. Similia sunt adeo, ut saepe vix distingui possint ab his adiectiva velut φανό-ς, στιλβό-ς, θοό-ς, αἰθό-ς, πηγό-ς, λοιπό-ς, τομό-ς, quorum pleraque intransitivae vel passivae notionis sunt. Vocabula in α et η ab his proprie non distingui quum Boppius demonstraverit [113]), licet etiam εὐρυόπα, παρθενο-

constanter loquitur de ς formativo (Paralipp .p. 185.). — Nos lineola a stirpe hanc litteram separamus, ut pura stirps conspiciatur. (φρίκ-ς, λόγο-ς, πόλι-ς, πολίτη-ς, sed ἔπος, σαφής, quum hic ς thematis pars sit.)

[113]) Vergl. Gramm. p. 137—138.; Pottius ea quae contra Boppium dicit — α-ς et η-ς, Latinumque *a* contractione ortum esse contendens — mihi non persuasit. (E. F. II., 339.)

πῖπα, omniaque, quae nominativum in η-ς terminant, nomina composita afferamus — συγέρπη-ς, θεοσύλη-ς, λογοθήρα-ς, νομάρχη-ς, τειχομάχα-ς, alia[114]). — Feminina in α vel η, quae personas designent, raro inveniuntur; nam ut adiectiva, quorum haud parvus numerus duas tantum terminationes habet, hic praetermittam, feminina in η fere ab iis nominibus formantur, quae velut κοῦρο-ς-κόρη, δοῦλο-ς - δούλη, δμώ-ς - δμωή, tantum per genera moventur. Personarum femininarum nomina sine masculinis huius suffixi ope lingua Graeca non finxisse videtur. Itaque quum masculinorum in ο-ς simplicium, quae de personis usurpantur, numerus parvus sit, composita autem in feminino η litteram non in se recipiant, non multa nomina in η feminas designare posse apparet. Paulo plura apud Romanos inveniuntur in a terminata, velut *puerpera*, *grandiloqua*, *pedissequa*, qualia Graeca lingua non toleravit; ἡ οἰνοχόη enim si de ancilla vinum ministranti ab Homero usurpatur, hoc contra compositorum regulam est. In universum autem quantopere Graeci ab η suffixo in feminarum nominibus abstinuerint, docet ἡ τροφό-ς; adeo enim quum η suffixum audiebant, de abstractis nominibus cogitare consuerant (ἡ τροφή), ut personam femininam designaturi, abstinerent potius ab η littera, et masculini terminatione uterentur. αδ autem quod ex α ortum esse probavimus, saepissime in mulierum nominibus occurrit (ἡ ἐθά-ς, μαινά-ς)[115]). Frequentissime vero η et α suffixa in abstractis ex radice formandis usurpantur: velut ἡ ἀρχή, ἡ τροφή, ἡ μάχη innumerisque aliis in nominibus, quae cuique in promptu sunt. Comparantur Sanscrita[116]) ***kship-á*** βολή a ***kship*** βάλλειν, ***pûǵá*** honor a ***pûǵ*** honorare, Latina ***fuga, suada, toga*** (***teg***). Multa etiam in αδ vocabula ad res designandas deflectuntur — ἡ λαμπά-ς, ἡ λιβά-ς, ἡ ἁμαρτά-ς (pro ἁμαρτία apud Herodotum). — Permulta dein masculina idem experta sunt; quorum in quibusdam viam, qua ad illum usum pervenerint, persequi haud ingratum erit. Quod in πλόο-ς vocabulo nobis licet; hoc enim a rad. πλευ vel πλυ,

---

[114]) Simplicia enim in α vel η, Latini *scriba* in modum formata, apud Graecos non inveniuntur cf. Lob. Paralipp. p. 134.

[115]) cf. p. 9.; praeclare igitur Graeci differentia inter α vel η et αδ usi sunt, quippe qui illud suffixum in abstractis, hoc praecipue in personarum nominibus usurparint.

[116]) Rarior tamen est in lingua Sanscrita haec terminatio, quam in ceteris eiusdem stirpis linguis, et si Wilkinsio fidem habemus, iis praecipue radicibus affigitur, quae gravem vocalem habent. (Sanscr. gr. p. 474. — a heavy vowel, long by nature or position.)

Sanscrito *plu*, descendit, et quantum ad formam, si digamma restituis (πλόϝο-ς) Sanscrito *plava-s* ad amussim respondet; *plava-s* autem navem designat, quasi natantem[117]; Graecum πλόο-ς abstractam notionem adeptum est, illiusque in loco τὸ πλοῖον, quod ex πλόϝιον ortum est, usurpatur. Itaque hoc vocabulum ex primitiva significatione personali, quae in ἁλίπλοο-ς[118]) i. e. in mari natans, mari circumfluus, servatur, in altero sermone ad rem significandam, in altero in abstractam notionem transferri videmus. νόο-ς fortasse a rad. νε repetendum est, quae in νέομαι conspicitur; haec enim quum in νείομαι, νίσσομαι formis ι habeat, cum Sanscrito *nî* (ducere) comparanda esse videtur[119]; suspicari igitur licet, mentem quasi ducem designatam esse a Graecis; nisi mavis vocabulum cum Sanscrito *nî-ti* comparare, quod alia via ad similem prudentiae vel calliditatis notionem ab eadem radice pervenit. Similiter quum multa nomina primum personas agentes designasse, deinde in abstractam notionem transiisse putandum sit, alia contra, quae cum adiectivis λοιπό-ς (λελειμμένος), τομό-ς conferantur, passivam notionem in se receperunt, velut ὁ πάλο-ς, sors, quia quatiendo proferuntur, quamquam idem nomen in ἐγχέσπαλο-ς activum est; ὁ δόμο-ς, *dama-s*[120]), *domu-s* est id quod exstruitur, ὁ οἰκοδόμο-ς qui domum exstruit; ὁ ὄχο-ς, currus, quia vehitur (a rad. ἐχ seu ϝεχ = *vah, veh*[121]), αἰγίοχο-ς, qui aegidem tenet. Hoc modo si quis singula vocabula tractabit, de multis, qua via ad vulgarem significationem pervenerint, cognoscere licebit. Ceterum antiquissimam esse abstractam masculinorum notionem lingua Sanscrita nos docet, in qua haec saepissime in nominibus in *a* conspicitur, velut *g'aja* (victoria), quod cum *dhanang'aja* (divitias vincens) conferatur; *dvêsha* (odium) a *dvish*, (odisse); *jôga* (coniunctio, a *jug'*, coniungere); *grâha*, a *grah* (corripere) si abstracte usurpatur correptionem, ut ita dicam, sin active, corripientem designat. Ex hac enim significatione ut variarum bestiarum nomen adhibitum esse videtur[122]). Ex Latina lingua *ludu-s, sonu-s* (*svana*)

---

[117]) Haec enim principalis *plu* radicis significatio esse videtur cf. Rosen radd. Sanscr. s. v. Generalius grammatici Sanscritici eam per *gatâu*, *sarpanê* circumscribunt.

[118]) cf. Il. μ, 26. ἁλίπλοα τείχεα.

[119]) Vid. Bopp gloss. Sanscr. in appendice; cf. *çî* – κεῖ-μαι.

[120]) Cf. Lassen Anthol. p. 100.

[121]) Savelsberg quaestt. p. 1 — 47.

[122]) Vid. Wilson s. v.

focu-s huc pertinent[123]); ceterum vocabula sic formata apud Romanos, qui plenos gravesque sonos amabant, non adeo multa fuisse videntur. — Neutra in *ο-ν*, sicut masculina modo passivae, modo activae significationis sunt; *τὸ ζυγό-ν* enim est *τὸ ζευγνύν*, *τὸ ἔργο-ν* — *τὸ ποιούμενον*, *τὸ πέδον* (rad. *πεδ-πούς* vid. p. 28.) *τὸ πατούμενον*.

Eadem significationis discrimina in nominibus, quae in *ι* terminantur, animadvertimus. Actores significant *ὁ στρόφι-ς*, *τρόχι-ς*; adiectivum est *τρόφι-ς*, quod sicut *ταρφύ-ς*, huic cognatum, de eo usurpatur, qui bono nutrimento crassus factus est (*wohlgenährt*). Feminina personarum nomina in *ιδ*, quae ab hoc suffixo non separanda sunt, supra complura enumeravimus, *μυρόπωλι-ς*, *στρατηγί-ς* etc.; abstracte Graeci et quibusdam sine *δ* finali vocabulis utuntur: *ἡ ἄγυρι-ς*, *ἡ μῆνι-ς*, *ἡ φρόνι-ς*, *ἡ πόλι-ς*[124]), et nonnullis, quae littera augentur: *ἐλπί-δ*, *ἐρί-δ*, *κλῆϊ-δ*, *χάρι-τ*. Indi quum, quantum grammatici docent, per *i* praeter feminina abstracta, quorum usus rarus est, velut *g'âji* (victoria), etiam adiectiva, velut *çuk'i* (purus) a *çuk'*, et masculina agentis, velut *k'akri* (efficiens) a *kr̥* facere, *g'agmi* (ventus) a *gam* ire repetant, Graecis in *ι* suffixi usu simillimi sunt.

υ suffixum apud Graecos substantivis et adiectivis commune est; flexionis enim differentia, quae est inter haec et illa (*υ-ς*, *υος* aut *εος*) non impedit, quominus utriusque classis thema in *υ* desinere statuamus. Personae nomen, quale est Sanscritum *bhiksh-u*, mendicus, a *bhiksh* mendicari, ex Graeca lingua afferre non possum. Adiectiva autem in utroque sermone non rara sunt; ac respondent sibi *âçu-s* *ὠκύ-ς*, *svâdu-s* *ἡδύ-ς*, *guru-s* *βαρύ-ς* ad formam aeque ac si notionem spectas[125]). Romani his *i* addiderunt: *tanu tenu-i-s*, *guru gravi-s*. Rerum abstractaeque significationis nomina utriusque generis inveniuntur in lingua Sanscrita; *hanu-γένυ-ς* a rad. *han* (*to smite*, *Wilkins*), *vâju* - *ventus* a *vâ* flare, *ἡ ἰσχύ-ς*, *ἡ ὀϊζύ-ς*.

Nomina in *ευ-ς* hic tangam tantum; his enim quid in cognatis lin-

---

[123]) foc-us, quod vulgo a rad. fov (fovere) repetitur, rectius fortasse cum fac-s coniungitur.

[124]) a rad. *πλε*, quae est in verbo *πίμπλημι* Sanscr. *pr̥̄* cf. *puri-s* et *pura-m*.

[125]) *ἐΰ-ς* quoque huc pertinet, quod a rad. *ἐς* deducendum esse videtur, ita ut *ἐΰ* Sanscrito *su* eodem modo respondeat, quo Graecum *εἴην* = *ἐσίην* Sanscr. *sjâm*. De notione conferatur Sanscr. *sat* (ens et bonus).

guis respondeat, non video [126]). Praeterea quum plurima personarum nomina hoc suffixo formata esse constet, neque ullo modo haec terminatio nostrae sententiae officere possit, ad quaestionem non pertinent. Eam autem ob causam ea affero, quod eiusmodi vocabula saepe a personis ad res transferuntur, velut ὁ χοεύ-ς (Guss), ὁ τομεύ-ς, quod proprie sectorem designat, deinde ad scalprum designandum adhibetur, denique in mathesi de coni sectionibus usurpatur. Neque a passiva notione vocabula in ευ-ς aliena sunt, quod docent: ὁ ἐμβολεύ-ς, obturamentum, ὁ ἀμφορεύ-ς i. e. ἀμφιφορεύ-ς [127]).

Neutra in ος et adiectiva in ης thema in ες terminare, in quo ς littera sicut in Sanscrito *as*, Latino *us* vel *ar*, *or*, *er* suffixi pars, non nominativi signum est, demonstravit Boppius [128]). Recte igitur Kühnerus [129]) hoc ut multa alia, quae doctissimi illius viri acumine detecta sunt, in grammaticam recepit. Nos his causas, cur ς in hic vocabulis ad suffixum pertineat, non repetamus; sed hoc pro demonstrato habeamus, eodem suffixo terminata esse Sanscritum *man-as* (mens) Graecum γῆρας, μένος, σαφής(ες), Latina *corpus*, *Venus*, *Ceres*, *honor* [130]), *robur*. Haec autem nomina, quum magna ex parte neutrius, alia masculini quidem generis, sed abstractae notionis sint, nostrae de abstractorum suffixorum origine sententiae contraria esse videntur. Verum ne fallamur exemplorum copia. Accuratius scrutantibus obversantur masculina et feminina de personis usurpata. *vêdhas* enim est Brahmae dei epitheton, quod si Wilkinsio credimus [131]), a rad. *vidh*, quae regere, ordinare, gubernare significat, deducendum est; feminina habemus Sanscrita et Latina, quae personas designant: *Apsaras*

---

[126]) Boppius ευ ex Sanscrito *u*, de quo modo locuti sumus, deducit: Ueber den Einfluss der Pronomina auf die Wortbildung p. 20.; Pottius, ut nos, fatetur se hoc suffixum non intelligere E. F. II. p. 443.

[127]) Cf. Lobeck Paralipp. I. p. 44.

[128]) Vergl. Gramm. §. 146., §. 128.: Ueber einige Demonstrativstämme, Berlin 1830. pag. 4. sqq.

[129]) Ausführl. Gr. I. p. 320.

[130]) Cf. Pott E. F. I. p. 136.; fulgur — fulgur-is quoniam *u* vocalem, quam corpus, robur in solo nominativo praebent, etiam in casibus obliquis servat, rectius fortasse ab eodem v. d. (ib. p. 69.) ad *us* suffixum Sanscritum (*vapus*) trahitur.

[131]) vid. eius gramm. p. 455.: *vêdhas*, an epithet to Brama and also to Budha from vidh, rule, govern, ordain. Cf. Wilsonium in lexico.

i. e. *áp-saras*, in aqua iens *g'aras*, plerorumque *g'arâ* vocabuli casuum thema, quod Graeco γῆρας respondet [133]), *Ceres*, *Venus* (quod Benaryus bene cum rad. *van* desiderare coniungit). Si porro adiectiva in ης, quorum pauca quidem simplicia sunt, multa tamen ex ipsa radice formantur (σαφ-ής [134]), ψευδής — ἀβλαβ-ής, ἀϊδής, περιχαρής) [135]), Latinumque *vetus*, quod his simile esse videtur, respicimus, vix dubium esse videtur, hanc quoque terminationem a personis significandis incepisse; postea modo in masculino genere (*honor*, *decor*, *rubor*, *albor*), modo in neutro (βλέπος, φάος, τεῦχος, χρέος, πραγος, — *manas* (rad. *man*), *vak'as* (verbum) a *vak'*, dicere, *vâsas* (vestis) a *vas*, vestire; in abstractis rerumque nominibus usurpatum est.

Transimus ad suffixum, quod satis aperte in omnibus linguis in personarum nominibus usurpatur. *tṛ* syllaba enim et in Sanscrito sermone plerumque actor designatur, eademque ratione τηρ et τορ apud Graecos, *tor* apud Romanos tam vulgare est, ut exempla, quale est *dâtṛ*, δότηρ, *dator*, afferre vix opus sit. Atque quum in lingua Sanscrita in eisdem vocabulis *tar târ* formae alternent (Acc. *dâtâram*, Loc. *dâtări*), Graeci duplex suffixum inde fecerunt, ex breviore *tar*-τορ, quod tantum in nominativo ex regula producitur [136] (ἰάτωρ, them. ἰατορ), ex *târ* autem τηρ, quod longam vocalem servare solet [137]). In solo μάρτυρ υ vocali usi sunt; hoc enim eiusdem suffixi ope a rad. *smṛ* deducendum est, quae recordandi notionem habet; ὁ μάρτυρ igitur est μέντωρ quidam (rad. μεν - μι-μνησκω, *me-min-i*), qui alicuius rei meminit memoriamque testatur [438]). Cui

---

[133]) vid. Bopp üb. ein. Demonstr. p. 7.

[134]) nisi hoc potius Boppio auctore, a *sa* et *bhâs* (φῶς) deducendum est; vid. eius libellum üb. d. Einfl. d. Pron. a. d. Wortbildung p. 10.

[135]) Ceterum pleraque a substantivis oriuntur, velut δυςμενής a μένος, Μεγασθένης, cui ad significationem fere respondet Sanscritum *uttamâugâs* ab *ôg'as* vigor — (extremo vigore praeditus).

[136]) Buttm. I. p. 163.

[137]) vel in linguis Celticis hoc suffixum servatur (*teoir*; *g'anitar-genitor-genteoir*) cf. Bopp, die Celtischen Sprachen etc. p. 7.

[138]) Ad eandem *smṛ* radicem pertinere videtur μέριμνα cura et μέρ-μηρα, quod eandem significationem habet; μέρμερα ἔργα apud Homerum vocantur grandia facta (Il. κ, 48.), quae m e m o r a b i l i a sunt — itaque quamquam paulo aliter etiam significatio se inclinat, ita ut μέρμερα ἔργα sint facta stupenda, tamen hic significatus facillime ex illo oriri poterat; sin de personis usurpatur, μέρμερος est morosus, quod nomen ei tribuimus, qui plus iusto om-

propter vocalem comparetur Latinum *vul-tur*, quem a vellendo dictum esse Benaryus (Lautl. I. p. 175.) recte censere videtur. Nam Romani quoque, qui vulgo *o* vocali in hoc suffixo utuntur, alias interdum litteras adhibent; praeter illud *u* enim, propter quod etiam *guttur* conferatur, *e* invenitur — ut praetermittam cognationis nomina: *pater, frater* etc. — in *passer*. Hoc enim eiusdem suffixi ope, mutato *t* in *s* (cf. *quassus* a *quat* rad.) *pat*, cui incedendi notio est, repeto[139]). Principalis igitur et frequentissimus *tr, tor, τηρ, τορ* syllabarum usus quum aperte is sit, ut personarum nomina forment, non desunt tamen exempla, in quibus vel ad res actionesve designandas adhibeantur; cuius generis sunt: *ζωστήρ, καλυπτήρ, κρατήρ, κολαπτήρ, ἑλκυστήρ, λαμπτήρ, νιπτήρ, ξυστήρ, κλιντήρ* (pro *κλίνη*)[140]), *ἀορτήρ* — quae omnia fere instrumentorum nomina sunt. Passive interpretandum est *ὁ ἐνδυτήρ* i. e. *τὸ ἐνδυόμενον* (*Anzug*), actionem describit *ὁ καμπτήρ*, flexus. — Neutra in *tr*, simplicia quidem, in lingua Sanscrita non inveniuntur[141]) servarunt Graeci *τὸ ἦτορ*, quod, quamquam digammatis vestigia apud Homerum non inveniuntur, tamen recte fortasse ad *vá* radicem (*ἄϝημι*) a Benaryo[142]) refertur, quo similiter pertinere potest atque *animus* ad rad. *an*, quae eandem spirandi notionem habet[143]). Ex Latina autem lingua *gut-tur* huc pertinet quod ab eadem *ghas* radice factum esse videtur, quae in *γαστήρ* conspicitur. Ea enim comedendi notionem habet.

Iam vero haec terminatio, cuius primitivam formam *tár* esse meminerimus, duplici modo mutata est. Primum ex nominativo eo, qui in Sanscrito sermone invenitur *tá*, Graecum *τα, τη* ortum est, quod in primam declinationem transiit — velut in *ἠπύτα, ἠχέτα, νεφεληγερέτα*, aliis-

---

nia secum reputat et retractat. — Eodem etiam *σμερδνός, σμερδαλέος* (ex integra *smr* forma) trahenda esse non pro certo contenderim; poterant tamen haec similiter ac *μέρμερο-ς* a designanda re memorabili ad terrorem indicandum converti.

[139]) non a volando, ut Benaryus vult (l. c. p. 289.), quoniam utroque modo *pat* seu *path* radix usurpatur; volatu enim a ceteris avibus passer non distinguitur, sed eo, quod humi solet, cibum sibi quaerens, incedere, ut ita dicam, et insilire. Utrum vernaculum nomen: *Spatz* a spatiando deducendum sit, an ex vetere *sparva*, unde *Sperling*, originem duxerit, nescio.

[140]) Cf. Geppert über den Ursprung der Homerischen Gedichte II. p. 93. — Buttm. II. pag. 320.

[141]) Vid. Bopp krit. Gramm. in kürzerer Fassung p. 75.

[142]) Lautl. I. p. 174.

[143]) Sanscr. *an* enim per spirare explicatur, Graecum *ἄνεμος* idem confirmat.

que exemplis Homericis, quo accedit Aeolicae dialecti usus[144]), Latinaque vocabula velut *poeta*. Quae etsi *a* vocalem corripuerunt, quod propterea factum esse videtur, quia in fine posita est, tamen, si Boppii rationem sequimur[145]), antiquiora esse videntur, quam quae, addita ex ceterorum similitudine *ς* littera, nominativum in *ης* terminarunt. Est autem haec mutatio eiusmodi, qualem supra (pag. 14.) descripsimus; transiit hoc suffixum ex minus usitata gravíorique in leviorem et magis vulgarem declinationem. Atque possumus hic linguae, ut ita dicam, vestigia sequi. Multa enim vocabula antiquo tempore in *τηρ* terminantur, quae postea *τη-ς* suffixo utuntur, ἀϑλητήρ - ἀϑλητή-ς, αὐλητήρ - αὐλήτη-ς, δεκτήρ - δέκτη-ς, ὀρχηστήρ - ὀρχηστή-ς[146]). μάρτυρ autem, quae vox modo propter *υ* vocalem nobis commemoranda erat, iterum magni nobis momenti est. Haec enim apud Aeolenses tantum *ρ* in nominativo servavit (μάρτυρ), ceterum hac littera abiecta similiter atque nomina in *τηρ ς* in se recepit (μάρτυς); eo tamen ab his differt, quod nomina in *τη-ς* in obliquis quoque casibus *ρ* omiserunt, μάρτυ-ς autem retinuit (μάρτυρος, μάρτυρι etc.), atque in solo accusativo praeter μάρτυρα etiam μάρτυν[147]) formam praebet, ex nominum in *υ* terminatorum (ἰχϑύν) regula factam. Itaque quod in nominibus in *τηρ* non licet, hic nobis permissum est observare, quomodo altera declinatio ex altera orta sit; nam fuisse quondam tempus, quo ut μάρτυρα et μάρτυν ita ὀρχηστῆρα et ὀρχηστήν ab ὀρχηστής Graeci formare poterant, veri simillimum est[148]).

Transimus ad alteram mutationem; in qua recordemur eorum, quae supra (p. 14.) attulimus, exemplorum, in quibus stirpi nominum vocalis addita est, ad flectendum commodior. Eiusmodi enim vocali *tar* suffixum augetur. Atque fit hoc vario modo. Ex producta *târ* forma — Latino *tōr* — participia in *turu-s* derivari, quae sicut nomina in *tṛ* (*tâ*) Sanscrita,

[144]) cf. Ahrens de diall. Aeoll. p. 109., ubi grammaticorum pro hac re testimonia enumerantur.

[145]) Vid. eius Vergl. Gr. p. 170.

[146]) utraque forma in hoc et aliis exemplis iam apud Homerum legitur. (Il. σ, 494.; π, 617.)

[147]) cuius auctor est Menander; vid. Pass. in lex., Buttm. I. p. 230.

[148]) quare Pottio, qui propter Lithuanici cuiusdam suffixi similitudinem *τη-ς* a *τηρ* separandum esse censet (E. E. II. p. 339.) non possum assentiri.

futurum tempus designant, Boppius demonstravit[149]); ac possint etiam hanc ad rem probandam *praetura*, *quaestura* similiaque vocabula afferri, quae quum aperte a *praetor*, *quaestor* nominibus derivata sint, *o* litterae in *u* transitum confirmare possunt. Neque Graeci carent, quae cum his comparentur, nominibus; *καυστηρό-ς* enim cum *καυστήρ* (rad. *καϝ-καίω*, fut. *καύσω*), et *αὐστηρό-ς* cum *αὐστήρ*, quod ex analogia supponendum est[150]) eadem ratione conferri potest, qua *daturus* et *dator*. Valuit in utroque sermone addita vocalis eo, ut ex substantivorum classe inter adiectiva vocabulum transferretur; quamquam ne simplicior quidem *τηρ* seu *τη-ς* forma ab adiectivis prorsus abhorret; quod dubium est in *ἀορτήρ* (*στρόφος ἀορτήρ*), certum in *ἀσπιστή-ς*, *θηρευτή-ς*, *ἀλφηστή-ς*, quibus saepissime apud Homerum *ἀνήρ* additur[152]).

Ex breviore *tar* similiter *tara* ortum est, quod apparet, si inter se comparamus *ἀλάστορ(ωρ)* — *ἀλάστορο-ς* (Buttm. I., 216.)
διάκτορ(ωρ) — *διάκτορο-ς* (id. lexil. I., 218.)
μάρτυρ — *μάρτυρο-ς*[152])

Atque quum *τηρ* et *τη-ς* in denominativis quoque inveniantur (*οἰκέτη-ς*, *φυλέτη-ς*, *ἀγρότηρ*), quin *ὀρέστερος* eodem modo ex obsoleto *ὀρεστήρ*, cuius recentior forma in *Ὀρέστη-ς*[153]) servatur, deducendum sit (ab *ὄρος*, thema *ὀρες* cf. *ὀρέσκῳος*), et *ἀγρότερο-ς* ex *ἀγροτήρ*, rariore pro *ἀγρότη-ς* forma, quae legitur in Eurip. Electra v. 465[154]).

Tertia denique forma invenitur: *tra*, quae ex eodem suffixo origi-

---

149) Vergl. Gr. p. 690.; Sktgr. p. 231. — ***dâtâ-smi*** = daturus sum.

150) a rad. *αὔω*, Scto. *ush*, *urere*; *αὐστήρ* ad amussim Sanscrito ***ôshtâr*** responderet cf. Bopp Sktgr. p. 234. n. 12.

151) Geppert üb. d. Hom. Ged. p. 94. sq.

152) quam antiquo tempore haec mutatio facta sit, inde intelligitur, quod *μάρτυρο-ς* forma sola ab Homero usurpatur, *μάρτυς* vel *μάρτυρ* postea in usum venit.

153) *ὀρεστιάς* Il. *ζ*, 420. et *ὀρείτη-ς*, *ὀρείτωρ*.

154) Buttmannus (gr. I. p. 274.) haec vocabula eodem suffixo terminata putat, quod in comparativo usitatum est. Verum exempla quae affert omnia ab his duobus diversa sunt; *σαώτερος* enim et *θειώτερος* veri comparativi sunt, quorum significatio in illis locis, quos v. doct. affert (Il. *α*, 32.; Od. *ν*, 111.), non prorsus periit; utroque loco comparatio quaedam est; *θηλύτερο-ς* sicut *δεξίτερο-ς*, *ἀριστερό-ς* naturalis, ut ita dicam, comparativus est; *ἡμέτερος*, *ὑμέτερος* sunt pronomina, quae quam saepe suffixa comparativi et superlativi in se recipiant, docet Boppius Vergl. Gr. p. 390. sqq. Ueber ein. Demonstrat. etc. p. 13.

nem duxit. Quod ut probemus primo loco ponimus exempla, in quibus aperte τρα ex τηρ (τερ) ortum est: ἡ Δήμητρα, quod Lobeckio teste (Paralipp. I., p. 142.) apud optimos scriptores legitur, ἡ γάστρα quod pro vulgari γαστήρ (τερ) ponitur, ubi ad vasorum ventrem transfertur. In his sicut manifestum est τρα ex τηρ factum esse, ita omnino *tra*, quod in Sanscrita, Graeca, Latina lingua frequentatur, a *tar* suffixo propagatum esse multis probatur. Lingua Sanscrita enim *tra* et *tṛ* seu *tar* fere secundum easdem leges radici adiungit; ante utramque syllabam vocalis augeri solet, utraque saepe per *i* vocalem radici affigitur [155]). Et quamquam *tra* suffixum in masculino genere in indice suffixorum non enumeratur, tamen *putra* et *kshatra* vix aliter formata sunt. Illud Lassenius (gloss. ad Antholog. p. 262.) a *pû* lustrare repetit, ita ut correpta sit vocalis propter usum frequentem; *kshatra* vero Pottius (E. F. p. 204.) ad *kshi* radicem trahit, unde etiam *kshata* venit, ita ut ab occidendo militem appellatum esse dicamus. Multo magis in aperto sita sunt Graeca: ἰατρό-ς, quod non differt ab ἰάτωρ, ἰήτωρ, ἰητήρ — quae formae apud Homerum omnes leguntur; postea ἰατρό-ς solum in usu mansit; δαιτρό-ς, quod quamquam formam in τηρ vel τωρ, quacum comparetur, non habet, tamen haud dubie a δαί-ω repetendum est, ut ἰατρό-ς ab ἰά-ομαι, quod vel ipse poeta sensit (Od. ρ, 331.)

. . . . . ὁ δὲ παπτήνας ἕλε δίφρον
κείμενον, ἔνθα δὲ δαιτρὸς ἐφίζεσκε κρέα πολλὰ
δαιόμενος μνηστῆρσι δόμον κάτα δαινυμένοισιν.

Rem significat ὁ χύτρο-ς, *olla* (cf. χοεύς), abstractae notionis est ὄλεθρο-ς; θ enim in hoc pro τ ponitur, ut saepius ante ρ litteram. Eam legem enim, quam lingua Zendica constanter observat [156]), ut tenuis ante semivocalem in aspiratam mutetur, interdum Graeci sequuntur. Buttmannus [157]) iam attulit φροῦδος (πρὸ ὁδοῦ), φροίμιον (προοίμιον), θράττω (ταράττω); accedunt χνόος quod cum κνόος, κνοή ad κνα radicem pertinet, τέχνη, quod cum τέκτον ab eadem stirpe (Sct. *taksh-fabricari*) repetendum est. — Adiectiva quoque in *tra* inveniuntur, Sanscrita *pavitra* (*pû*) purus, *k'itra*, a *k'i* colligere, quae passive interpretanda sunt; nam purus est pu-

[155]) Cf. Bopp Sktgr. p. 303. et p. 232. sqq.
[156]) Bopp Vergl. Gramm. p. 46. sq.
[157]) Gr. ampl. I., 76.

rificatus, *kitra*, varius, in quo multi colores colliguntur vel conveniunt, concurrunt. Graeci βλω-θρός, λάληθρο-ς adiectiva hoc suffixo formarunt. — Frequentissimum autem *tra* in neutro genere est; quod nos, qui etiam in τὸρ et *tur* neutra terminari omninoque generum differentiam vidimus non eiusmodi esse, ut propterea suffixa ceterum aequalia divellantur, non impediet, quominus hoc sicut masculinum a *tar* forma ortum esse putemus[158]. Usurpatur autem *tra* in neutro genere praecipue in instrumentorum nominibus, velut *çrôtra-m* auris, a *çru* audire, *mâtra-m* μέτρο-ν a metiri, κέντρο-ν, ἄροτρο-ν, λουτρό-ν, τέρετρο-ν[159]), *aratru-m, haustru-m, fulgetru-m, monstru-m* (ut videtur a *mon-moneo,* quod nos monet). Eundem usum multa in τηρ nomina habere vidimus (κολαπτήρ). Atque facillime sane ex actoris nomine instrumenti nomen deducitur, quia instrumento, quasi a secundo actore aliquid efficitur. Recte enim et auris et homo dicitur audire. Sin multa nomina in τρο-ν de mercede usurpantur, qua quis conductus rem verbo designatam efficit vel perpetrat, haec notio ab instrumentali non valde diversa est. τὸ μήνυτρο-ν enim est id, cuius ope aliquis ad denunciandam aliquam rem movetur (cf. δίδακτρον, σῶστρον, λύτρον). Quam apte haec omnia lingua significat suffixo proprie de personis usurpato, sed ita, ut neutro genere res a personis distinguat! Paulo magis actoris simile est *nêtra-m* oculus, a *nî* ducere, quo quasi dux corporis designatur; intransitivum autem ῥέεθρο-ν[160]) et passivum (sicut ὁ ἐνδυτήρ) *pavitra*, δαιτρόν (Il. δ, 262.), quod cum πίνειν poeta coniungit i. e. pro portione sua potare. — Feminina quoque huius terminationis ope, producta finali littera, formantur, quae a neutris significatu parum differunt; *danshtrâ* enim a *danç* mordere est dens, mordendi instrumentum, *jâtrâ* pecunia itineris causa data (a *jâ* ire), sine qua iter fieri nequit[161]). Plura Graeci, qui omnino femininum genus amant, finxerunt: βάθρα, χύτρα, ξύστρα (a ξυ inserto σ ut in ἀκέστρα, σεῖστρον, *lustrum, monstrum*), φαρέτρα (a ferendo). Tum etiam Latinum *fenestra,*

---

[158]) Quod etiam Pottius statuit E. F. II., 403.

[159]) Cui propter vocalem interpositam *pat-a-tra-m*, *ala*, a *pat* volare comparetur.

[160]) Vix enim dicere attinet θ in hoc sicut in multis aliis τ consonae vice fungi (λείβηθρον, βάθρον, μέλπηθρον).

[161]) Cf. Graecum ἤια a rad. ι (εἶμι).

quod fortasse eum Graeco *φαν* (*φαίνω*), Sanscrito *bhâ* (lucere) cognatum est, huc pertinere videtur.

Postquam varias formas, quae ex uno illo antiquissimo *tar* ortae, varium in usum vocatae sunt, exposuimus, ad alias duas terminationes pergimus, quae et inter se et utraque cum ea, quam modo tractavimus, summam similitudinem habent. Videmus enim, in Sanscrita, Graeca Latinaque lingua suffixa ab *m* littera incipientia haud pauca aliis, quae, ceterum his aequalia, a vocali incipiunt, respondere; quem in modum *an — man, âna — mâna, ονη — μενη, εναι — μεναι, en — men, entum — mentum* inter se comparanda sunt. Neque a lingua Germanica hae terminationes alienae sunt; *an* enim in infinitivo invenitur, et *man* suffixi vestigia Boppius in *blôman, ahman, lauhmôni* detexit, quae cum *praefamen, legumen* contulit [162]. Denique Celticos infinitivos in *mhuin* terminatos eodem pertinere, idem v. doct. vidit [163]. Quas suffixorum familias tam late propagatas accuratius iam consideremus, num forte ad suam utraque stirpem, vel primitivam formam reduci possit, et quae inter varia earum membra ratio intercedat, quaesituri. Ac primum quidem de iis loquamur, quae ab m incipiunt.

man terminationem, frequentissimam in Sanscr. sermone, quae plerumque neutrius generis est (*dhâman* — domus a *dhâ* ponere), Latino *men* (*lumen* pro *lucmen*, *tegmen*), Graeco *ματ* comparandum esse dudum Boppius vidit [164], et luculentissimum huius suffixi exemplum protulit Sanscritum *nâman*, quod Germanico *nâman*, Latino *nomen*, Graeco *ὄνοματ* respondet [165]. Cuius terminatio in Sanscrita, Latina [166] et Germanica lingua prorsus eadem est. Verum Graecos quoque olim *n* in fine

---

162) Vid. Vocalismus p. 131.

163) Die Celtischen Sprachen etc. p. 58.

164) Vocal. l. c. Vergl. Gr. p. 719.

165) a rad. *g'na* (*co-gno-men*) cf. Pott E. F. I., 182.

166) In qua brevioribus en (unguen) et men (cognomen) longiora entum (unguentum) et mentum (cognomentum) comparantur; de quibus agit Vossius de arte gramm. p. 267.; Reinesius, epp. ad Daumium p. 34., 39., 42. Videntur autem longiores formae ex brevioribus addita *tu-m* syllaba ortae esse; eadem enim ratio est inter *veru* et *verutum*, et similis inter *aeger* (thema *aegro*) et *aegrotus*. Cf. quae p. 15. de suffixorum abundantia diximus, et Pott E. F. II. p. 594.

huius suffixi pronunciasse, vestigiis satis certis indicatur. Nam verba in *αίνω* magna ex parte a nominibus *ν* littera terminatis descendunt, velut

ἀφραίνω	ab	*ἄφρον*
πεπαίνω	a	*πεπον*
πιαίνω	-	*πιον*
τεκταίνομαι	-	*τεκτον* (*takshan*)
μελεδαίνω	-	*μελεδον*
ποιμαίνω	-	*ποιμεν*
χειμαίνω	-	*χειμών*,

quae ex antiquioribus in *ανιω* formis orta sunt, sicut *τέκταινα* e *τεκτανια*, eo tempore, quum inter varias brevis a vocalis figuras (*ᾰ, ε, ο*) nondum discerneretur [167]). Itaque quum a multis in *ματ* vocabulis verba in *μαίνω* deriventur:

δεῖματ	-	*δειμαίνω*
ὄνοματ	-	*ὀνομαίνω*
θαῦματ	-	*θαυμαίνω*
κῦματ	-	*κυμαίνω*
ἆσθματ	-	*ἀσθμαίνω*
σπέρματ	-	*σπερμαίνω*

haec ex antiquioribus in *μαν* formis originem duxisse, accedente ceterarum linguarum similitudine, vix dubium est. Idem adiectiva in *μον* (Nom. *μων*) confirmant, quorum multa a nominibus in *ματ* repetenda sunt:

πρᾶγματ	-	*πολυπραγμον*
εἶματ	-	*ἀνειμον*
θρέμματ	-	*πολυθρεμμον*
πῆματ	-	*πολυπημον*
κῦματ	-	*ἀκυμον*
αἷματ	-	*ἀναιμον*,

Nam quum ea lex valeat in componendis vocabulis, ut composita quam simillimam simplicium fini terminationem habeant [168]), apparet, adiectiva

---

[167]) Cf. Bopp Vergl. Gr. p. 724.; Ahrens de diall. Aeoll. §. 8. — Ceterum inveniuntur etiam verba in *αίνω*, a nominibus in *ο-ς* (*λευκαίνω*) *υ* (*γλυκαίνω*) *ες* (*δυσχεραίνω*) derivata. Quae contra normam facta esse videntur tum, quum, quae inter *αινω* et *αν, εν, ον* ratio sit, non amplius sentiebatur. — Qua de re cf. Buttm. II. p. 306.

[168]) Nam nomina in *ο-ς* in compositis terminationem servant; neutra quae in *ος* exeunt, quum *ες* thema habeant, adiectivam *ης-ες* terminationem recipiunt (*πάθος* - *δυσπαθής*) etc.

in *μον* eundem fere in modum ex substantivis in *μαν* propagata esse, quo *εὔφρον* ex *φρεν*, *εὔπατορ* ex *πατερ* factum est. Quare non dubito, quin illa verba (in *αίνω*) et adiectiva (in *μον*) iis exemplis adnumeranda sint, qualia in omnibus linguis inveniuntur, ut vocabula derivata retineant formas, quae in simplicibus vel primitivis perierunt. Quam ob rem non omnia illa composita et derivata antiquiora esse oportet; sed antiqui alicuius vocabuli (quale in his *ὀνομαίνω* esse possit) analogiam secuta sunt, qua neglecta, simplicia et primitiva seriorem regulam observant. Ergo quum Graecum *ματ* ex antiquiore *μαν* ortum esse constet, quaeritur quomodo illa forma ex hac facta sit. Etenim ne *ν* in *τ* mutatum esse dicamus, prohibemur eo quod desunt satis certa huius transitus exempla; atque omnino contrarium esset vulgari mutationis modo, si *ν* in *τ* mutatum esset, quum *τ* *ν* litteram, muta liquidam gravitate superet, plerumque autem graviores litterae in minus gravem mutari soleant [169]). Aliter ideo *ματ* ex *μαν* factum esse existimo. *n* littera in omnibus linguis mobilissima est; Graeci ea ephelcystice utuntur; radices quaedam in *n* terminatae, quae iis cum Indis communes sunt, formas sine *n* haud paucas praebent:

Sanscr.	Graec.	Lat.
g'an, g'ag'anmi-g'âta-s —	*γενγίγνομαι-γέγαα, νηγάτεος* [170]) —	genus, gigno
tan, tanômi-tata-s	*τεν τανύω, τείνω-τατό-ς*	tendo
man, manjê-mata-s	*μαν μαίνομαι, μένος-μέμαα, Μοῦσα*	memini
han, hanmi-hata-s	*φεν φόνο-ς-φατό-ς, πέφαμαι*	

ita ut de his dubitari possit, num *n* genuinum sit, necne. Saepissime *n* in thematis fine in lingua Sanscrita abiicitur (vid. Bopp Sktgr. §. 92.) et ante terminationes, quae a consonis incipiunt (*râg'a-bhis*), et semper in compositione, si primum locum tenet vocabulum *n* littera terminatum (*râg'a-dharma*) et saepe ante suffixa (*nâma-tas*). Tum etiam in fine compositorum haud raro *n* abiicitur (*bahurâg'a* pro *bahurâg'an*), atque affertur hac de re vel exemplum vocabuli in *man*: *upa-*

[169]) *t* ex *n* ortum esse videtur in Sanscrito *ghâtajati*, causali radicis *han* forma; eam vero Pottius E. F. p. 171. recte, ut opinor, a *ghâta* (occidio) derivat. Idem p. 82. de verbis denominativis, quae a causativis non separanda sunt, egregie disserit. Cf. Bopp Sktgr. p. 143. sq.

[170]) Vid. Buttm. Lexilog. I., 203.

k'arma, pro *upak'arman*, a *k'arman*[171]). In nominativo autem omnia in *n* vocabula hanc consonam abiiciunt, semper in Sanscrita lingua (*râg'â*), interdum apud Romanos (*homo, sermo*)[172]), eo modo, quem in nominibus in *tar* consideravimus. Denique *nâma* abiecto *n* finali adverbialiter usurpatur. Quibus omnibus exemplis satis probatur nostra de Graeci *ματ* origine sententia, ex *man* primum, abiecto *n* *μα* factum, deinde suo more a Graecis *τ* litteram additam esse similiter atque in *χάρι-τ*, *Θέμι-τ(δ,στ)*, de quibus supra diximus (p. 12.). Itaque tres gradus in hoc suffixo distinguimus, qui in compositis aperte conspiciuntur. Ab integro *man* derivantur: *ὀνομαίνω*, *ὁμαίμων* (*ὀνομανιω*, *ὁμαιμον*); ex decurtato *μα*: *ὀνομάζω*, ut a *δίκη δικάζω*[173]), *αἱμοβαφής*, ut *μουσοποιό-ς*, *ὅμαιμο-ς* (*ἄμουσο-ς*), *ἀνώνυμο-ς* (*ἄτιμο-ς*); ex *ματ* denique: *αἱματ-ό-ω*, *σπερματ-ίζω*, *αἱματ-ό-εις* (*εντ-ϝεντ*); quocum *χαριτ-ό-εις* comparetur, *ἀναίματο-ς*, *αἱματοσταγής* (cf. *χαριτοβλέφαρος*).

Sed non neutra tantum in lingua Sanscrita *man* suffixo formantur, verum etiam masculina, cum abstracta, quae neutris simillima sunt, velut *prêman*, *amor*, a rad. *prî*, *amare*, tum personae vocabulum: *brahman*, quod Lassenius (in gloss. ad Antholog.) a *bṛh*, augeri (*bṛhat magnus*) repetit[174]). Cum hoc comparantur Graeca: *ποιμεν* - quod eodem, quo *ποίμνη*, *ποία* seu *πόα* pertinet neque a *pa-scor*, (Sanscr. *pâ-tueri*?) separandum esse videtur[175]); *ὑμεν* coniugii deus, cuius nomen a rad. *ὑ*, Sanscr. *ju, conjungere*, ortum esse puto; *ἡγεμον* et *κηδεμον* quae vocalem inserunt. Simile est Latinum *flamen*, sacerdotis nomen, cuius originem in flagrandi verbo (*φλεγ*, *flamma* pro *flagma*) me invenisse arbitror. Bene enim sacerdos ab incendendo igne nominari potuit. Ex *flagmen* autem ita *flamen* fieri potuit, ut *examen* ex *exagmen*, *contamen* e *contagmen*[176]), *lumen* ex *lucmen* ortum est. Ceterum multa rerum nomina masculini generis hoc suffixo utuntur; quae modo productam *μων* for-

---

[171]) Wilkins Sanscr. gramm. §. 1065.: *upak'arma* or *upak'arman* (nom. *upak'arma*) by or near the leather or hide from *upa* and *k'arman* n.

[172]) idem fit in lingua Gothica (*ahman* Nom. *ahma*), Lithuanica (*akmen* Nom. *akmŭ*), Irica (*cun* = *κυν* Nom. *cu*). Cf. Bopp Vergl. Gr. p. 162. Die Celtischen Sprachen p. 18.

[173]) Cf. de his formis Bopp Vergl. Gr. p. 726 sq.

[174]) Cf. Pott E. F. p. 250. s. f.

[175]) Pottius etiam Lithuanicum *piemŭ* confert l. c. p. 192.

[176]) Vid. Forcellini in lex. s. v.

mam — λειμών, κευθμών, τελαμών [177]), χειμών — modo breviores μον, μεν habent, πνευμον, τέρμον, ἄκμον (cf. Sanscr. *açman*, lapis, unde coniicias lapides olim pro incudibus usurpatos esse), ἀΰτμεν [178]); ὕσμῖν [179]) pro ω ῑ praebet, ceterum Sanscrito *judhma* significatione formaque aeque simile est. — Adiectivum ex lingua Sanscrita unicum quidem commemoratur, quod huc referatur: *çarman* felix, a rad. *çr*; Graeci vero satis multa ex radicibus repetierunt, velut: διβαμον, ἐπιλησμον, φραδμον, τλημον. — Quae omnia satis confirmant, a personis *man* suffixum incepisse, postea in neutro maxime genere ad res translatum esse.

Iam vero cum hoc *man* suffixo (μεν, μαν, μον) μο-ς et μη syllabas, quorum frequentissimus usus est apud Graecos, cognatas esse, vel ei, qui intra Graecae linguae fines se continet, probabitur. Easdem enim leges observatas esse videmus in μο-ς et μη cum radice coniungendis, quae in ματ suffixo valent. Praecedere solet haec suffixa syllaba producta, quae si non natura radicis propria est, efficitur aut producta vocali vel aucta: ἑ-ῆμα(τ); φα-φήμη; κει-κει-κῶμο-ς [180]); χυ-χεῦμα, aut insertis θ, τ, σ consonis: κλαυ-θ-μό-ς, δυ-θ-μή, ἴ-θ-μα (rad. ι); σει-σ-μό-ς, δέ-σ-μη, ξύ-σ-μα; ἀτμό-ς (ἄω, ἄζω), ἀϋτμή (Pott E. F. I. p. 196.), λαῖτμα (cf. λαιμό-ς - λαλάζω). Quae omnia doctisssime, ut solet, et subtilissime tractat Lobeckius in ea, quam de nominum in μα exeuntium formatione scripsit, dissertatione (Paralipp. p. 390. sqq.). Accedit quod multifariam μο-ς, μη, ματ terminationes fluctuant et inter se commutantur, ita ut δεσμό-ς, δέσμη, δέσμα, γνώμη-γνῶμα, γραμμή-γράμμα iuxta inveniantur, ἀϋτμή autem apud Homerum cum ἀΰτμεν alternet, eodem fere modo, quo χεῖμα et χειμών, τέρμα et τερμον; Buttmannus quoque tres illas terminationes coniungit, docetque quam similis sit earum usus et quam frequens alterius in alteram transitus [181]). Vidimus autem, abiecto *n*, ex *man* suffixo *ma* fieri, unde addita τ littera ματ ortum est; ab eodem *ma*, quum ο et α primitus non

---

[177]) a rad. τλα - ferre cf. *tull, tolero.*

[178]) de quo vid. Pott l. c. p. 196.

[179]) quod in solo dativo ὑσμῖνι invenitur.

[180]) cf. κῶμα, κῶας (κώμη?); κῶμος (*das Gelage*) videtur pro κῶμο-ς dictum esse, quod eodem modo cum λοιπό-ς (λιπ-λείπω) comparatur, quo κλώψ cum κλοπή (κλεπ). Est hoc quiddam Sanscrito *Vrddhi* non dissimile.

[181]) Gr. II. p. 318. sqq.

distinguerentur, sola declinatione *μο-ς* differt; nam quum masculina quoque in *man* inveniantur, ne genus quidem in hoc diversum est. Declinationis autem mutatae exempla iam supra attulimus nominum in *tar*, quae abiecto *r* in primam, nominumque in *αδ*, quae addita *δ* littera in tertiam declinationem transierunt. Atque etiam Sanscrita composita, quae substantivum in *n* terminatum in fine habent, saepissime in nominum in *a* exeuntium flexionem transferuntur — velut *bahu-râg'a(n)*, Nom. *bahurâg'as*. Cuius rei exemplum de masculinis quidem Graecis in *μεν*, *μον* non in promptu est; neutra vero in *μαν* (*ματ*) saepissime in *μο-ς*, *μο-ν* mutantur (*ἀναῖμο-ς* pro *ἀνδίμων*, Neutr. *ἀναῖμο-ν*) et quamquam nominis in fine positi thema proprie secundum tertiae declinationis regulas flectebatur, tamen in composito vocabulo secundae leges valent. Quare vix dubito *μο-ς* ex *μαν*, *μεν*, *μον* seu *man* suffixo ortum esse. Ceterum iam in Sanscrita lingua eadem decurtatio conspicitur. Atque per varios significationis modos hanc terminationem comitari possumus: personae *ma-s* suffixo designantur in Sanscrito *judhma-* a rad. *judh-* bellator, *jakshma* (medicus) a *jaksh* colere [182]; simile est Graecum *ὄρχαμος* ab *ἀρχ*-radice. Adiectiva in *ma*, quae in *man* terminatis respondeant, non desunt: *bhîma* terribilis a *bhî* timere, *θερμό-ς* (rad. *θερ-θέρος*), quod ab eadem radice factum est, unde *gharma* Sanscritum — quod notione differt, quam abstractam habet; Latinum *almus*, quod ab *al-alere* repetitur. Frequentissime masculina in *ma-s* de rebus, vel abstracte usurpantur; de illis magis in lingua Sanscrita — quod probant *bhâma* lux a *bhâ* lucere, *stôma* hymnus a *stu* laudare; — hunc in modum saepissime a Graecis, quamquam multa etiam rerum nomina antiquissimo tempore in *μο-ς* exeunt [183]: velut *κευθμό-ς*, altera pro *κευθμών* forma, *κλισμό-ς* (*κλίνη*), *πλοχμό-ς-πλόκαμος*, *λαχμό-ς*, *θεσμό-ς*, *δεσμό-ς*, *ἰσθμό-ς* (rad. *ι*, ire-via). Pro abstractis usurpantur, sicut Sanscritum *dharma*, iustitia, a *dhṛ* tenere, ita Graeca: *σεισμό-ς*, *οἰκτιρμό-ς*, *ὀρχηθμό-ς*, multaque alia. Neutris in *ma-m* qualia in Sanscrito sermone sunt: *jug'ma-m* a *jug'* coniungere, *ein Paar*, *idhma-m* ab *idh* urere, lignum, Graeci Romanique carent.

---

[182]) Simile esse videtur *dhar-ma*, dei *Jam-a* cognomen, quod sicut *Jama* coercentem, ita tenentem (*dhṛ*) et sustentantem significare puto. Cf. Boppii gloss. De *jakshma* vid. Wilk. p. 488.

[183]) Cf. Geppert über den Ursprung der Hom. Gedichte. p. 88.

μη suffixum quo modo ex *man* ortum sit, lingua Sanscrita nos docet, qua saepissime iam duce usi sumus. In hac enim vocabula quaedam masculini generis in *man* exeuntia, quorum nominativus ex regula, abiecto *n*, in *â* terminatur, in femininorum declinationem transferuntur [184]). Quod haud dubie errore quodam linguae factum est; in *â* enim, quum nominativum feminina terminare solerent, origine huius nominativi neglecta, horum similitudinem secuta est. Id quam simile sit, ac si Graeca in τη-ς vel τα nomina in primam declinationem transeunt, vix est quod moneam (cf. p. 34.). Atque aptius etiam huic comparatur, si Graeca quaedam vocabula in μα-τ a Latinis in *ma*, Gen. *mae*, formam mutantur, quod interdum fit in *thema* vocabulo a Graecis recepto [185]). Paulo aliter iudicandum est de *lacruma* quod etsi cum Graeco δάκρυμα-τ comparare licet, tamen non pro translato habere possumus; sed est potius inter ea vocabula, quae ad commune, ut ita dicam, Sanscriticae stirpis patrimonium pertinent. Iam vero Graeci μη aliam originem esse nemo contendet; neque tamen ex solo masculino *man* factum esse puto, sed neutra in μα(ν) - μη terminationi Graecae similiora sunt. Neque omnino in eiusmodi rebus certi quidquam statuere licet; sufficit, vestigia quaedam detegere accurateque colligere. Ceterum valet in linguis vis analogiae, atque ut primum nova aliqua forma orta est, eius exemplum alia sequuntur. Itaque μη suffixum apud Graecos frequentissimum est, et quamquam haud pauca in μη nomina cognata sunt cum nominibus in μεν (ἀϋτμή - ἀϋτμήν) et ματ seu μαν (χάρμη - χάρμα), nequaquam de omnibus hoc dici potest. Saepe etiam notionis quaedam inter feminina in μη et neutra in ματ differentia intercessit. Haud raro enim linguae formarum varietate utuntur ad significationem mutandam; nulla autem saepius, quam Graeca, in qua nihil admirabilius est, quam variarum formarum usus. Nam quum Sanscritus sermo ceteris praeferendus sit formarum abundantia, Graeci maxime eo excellunt, quod formis, in oriente quidem magna ex

---

184) Cf. Wilkins Sanscritgrammar p. 600: Nouns ending in man, such as *sîman*, *pâman* etc. may be also declined as feminines in *â*, *âs*:

m. *sîmâ* — *sîmânau* — *sîmânas* or
f. *sîmâ* *sîmê* *sîmâs*

Cf. Wilson in lex. s. vv. *sîman* et *pâman*.

185) *thema*, *thematis* et *themae* cf. Reisigs Vorlesungen über Latein. Sprachwissenschaft pag. 113.

parte procreatis, utuntur ad significationis vel levissimam varietatem apte distinguendam. Quod sicut in verbi flexione admiramur, quam etsi traditam secum tulerunt Graeci, adeo propagarunt, germinaque cum universa linguarum stirpe communia ita foverunt et coluerunt, ut sua sponte illam recens constituisse et denuo generasse videantur. — ita etiam in nominum formatione praeclarum Graecorum ingenium valuit. In *μη* autem et *ματ* suffixis varium in usum adhibendis non neglectum est generis discrimen; feminina enim ad abstracta designanda inclinant, neutra magis res actione verbi effectas designant; tam subtile vero saepe discrimen est, ut sentiatur magis quam describi possit (cf. *μνήμη, μνῆμα, γνώμη, γνῶμα*); alia fere ex arbitrio distinguuntur, velut *γράμμα* scriptum, *γραμμή* linea, *χάρμα* gaudium, *χάρμη* pugnandi laetitia, pugna. Quem in modum diligenter inquirenti multa inveniantur aptissime distincta. A nostro loco hac in re diutius commorari alienum est. — Sed pauca addam de terminatione, quae a *man* (*ματ, μη, μα-ς*) divelli non potest; *δύναμι-ς μι* suffixum habet, vox solitaria, ut ait Lobeckius [186]), cui comites sociosque parare tentabimus. In compositorum fine *δύναμο-ς* forma pro *δύναμι-ς* substituitur. Simile est *φῆμις* quod a *φήμη* notione non discrepat, ita ut *πολύφημο-ς* quo pertineat, vix discerni possit; alternant *ἀτμό-ς* et *ἀτμί-ς* [187]); quibus tertia forma *ἀτμή* accedit. Neque *Θέμι-ς* aliter a rad. *θε* repetendum esse puto; *τέρμις* ab Hesychio affertur ut rarior forma pro *τέρμων* s. *τέρμα*. Ex Latina lingua fortasse *fa-me-s* (thema *fami*) huc pertinet. Hanc igitur terminationem ex *ma, μο-ς, μη ι* pro graviore *a* vocali posita, degenerasse existimo [188]).

A decurtatis formis ad auctas transimus. Augetur autem *man* in *mâna* et *mana*, sicut *tor* in *tūru-s* (*târa*) et *τορ* in *τορο-ς* (*tara*) [189]). In quo recordemur necesse est, personarum quoque nomina et adiectiva in *man* desinere; ita enim explicatur, quomodo *mâna*, ex *man* ortum, in participiis medii Sanscritis usurpari potuerit. In mediali enim significatione

---

[186]) Paralipp. p. 243.

[187]) quod in obliquis casibus *δ* recipit. Cf. pag. 61 sqq.

[188]) Cf. quae Boppius exponit de vocalium pondere. Vergl. Gr. p. 6.

[189]) Primus hanc similitudinem vidit Boppius, qui in gramm. Sanscr. Latina pag. 264. sic dicit: *man* ut mihi videtur cum suffixo *mâna* cognatum eundem in modum ac respondens Romanum *men* (*legu-men*) cum obsoleto *minus*, unde *mini* (*amamini*) et *turus* cum *tor* (*tr*).

ne quis offendat, vix verendum est. Liberrime enim Indi âtmanêpadam, quae vocatur, vocis formis utuntur[190]); et quantopere ex arbitrio suo linguae nominum suffixa in participia transferant, idem illud *turus*, ex *tor* factum, demonstrat. Nam etsi in *tor* nihil est, quod futurum tempus indicet, tamen participia in *turus* hoc designandum susceperunt. Similia sunt Latina in *ndu-s* participia, quae orta ex praesentis activi participiis[191]), passivam simul futurique temporis notionem consecuta sunt. Respondet huic *mâna* in masculino genere κάμενο-ς a rad. κα (καίω)[192]), in feminino ὑσμίνη vocabuli terminatio; in quibus qualitas quidem, quam vocant, vocalis alia est, quantitas autem eadem (cf. Sanscr. *âsîna* pro *âsâna*; *hîna* pro *hâna* a rad. *hâ*) ὑσμίνη autem cum breviore ὑσμίν, unde dativus ὑσμῖνι formatur, comparandum est. Aperte igitur hic μιν in μινη transiit. Accuratius participiis Sanscriticis *germanus* respondere videtur, quod cum breviore *gèrmen*, ab eadem radice, qualiscunque est[193]), descendere coniecerim, sicut γνήσιο-ς, quod eandem fere notionem habet, a rad. γεν, *gen*, *g'an*. Tum etiam *monia* ex obsoleto *monu-s* factum esse suspicor, quod Sanscrito *mâna-s* responderet, in iis quidem vocabulis quae ut *querimonia*, *caerimonia*[194]), *parcimonia* ab ipsa radice descendunt.

Frequentior est brevior forma apud Graecos et Romanos, quae in lingua Sanscrita non invenitur. Usurpatur ea in participiis medii apud Graecos (τυπτό-μενο-ς) et in secunda pluralis passivi persona (*amamini*) apud Romanos, quas formas dudum cum Sanscritis in *mâna* participiis Boppius comparavit[195]). Sed aliae quoque formae inveniuntur, quae cum his comparentur, quarum quaedam, quomodo ex breviore *man* ortae sint, videre possumus. Cuiusmodi est ἡ ἡγε-μόνη, in quo η non feminini generis designandi causa ad ἡγεμον thema additum est — nam ἡγεμών de utroque genere usurpatur — sed est haec littera hic ex eo more addita, de quo iam saepius diximus[196]). Tum complura nomina abstractae no-

---

[190]) Cf. Bopp Sktgr. §. 267.; Vergl. Gr. p. 617. sq.

[191]) Cf. Bopp Conjugationssystem p. 116.

[192]) vid. Poti E. F. II. p. 594.

[193]) Boppius haec vocabula a *g'an* (gen, γεν) repetit — ita ut *geminus* et *germanus* ex eodem fonte fluxerint. (Gloss. Sanscr. ed. sec. s. v. *g'anman*).

[194]) quod Boppius a *kr*, facere, repetit.

[195]) Conjugationss. p. 58.; Vergl. Gr. p. 691.

[196]) Cf. pag. 14.

tionis in *μονή* huc pertinent, quae omnia brevioribus in *ματ* i. e. *μαν* formis respondent.

πῆμα(ν)	-	*πημονή*
πλῆσμα(ν)	-	*πλησμονή*
φλέγμα(ν)	-	*φλεγμονή*
χάρμα(ν)	-	*χαρμονή*
κλαῦμα(ν)	-	*κλαυμονή*

quo accedit *κλαυθμό-ς-κλαυθμονή*. Apud Romanos *terminu-s* voci brevius **termen** respondet, de quo Varro de ling. Lat. IV., 4. loquitur, quod quidem in nominativo, *n* littera ex *homo*, *sermo* vocabulorum similitudine abiecta, **termo** formam habet, qua Ennius usus est [197]). Satis antiquo tempore breviores illas formas amplificatas esse a Graecis, probatur eo, quod hic, ut in illis, quae supra attulimus, verbis (*πέπον-πεπαίνω*, *τεκτον-τεκταίνομαι*) *α* et *ο* vocales alternant.

Denique syncopata *mna* forma exstat, quae cum *tra* comparetur. Latinis enim *vertumnus*, *auctumnus*, *alumnus* [198]) vocabulis, a Boppio collatis, quae respondeant, Graeci non carent. *ἀτέραμνο-ς* enim, cuius simplicior forma *ἀτεραμον* reservatur, his simillimum est; descendit enim a *τερ* radice, sicut simplex *τεράμων* (cf. *τέρην*, *ἀτειρής*) [199]). *τέραμνο-ς* autem seu *τέρεμνος*, quum significet: firmus, *τέρεμνον* id quod firme clausum est, *τεράμων* vero rem teneram, mollemque designet, hoc ab hac radice separandum est. Sed utrum recte a Passowio ad *στερ* radicem trahatur, cuius originationis iam Hesychius mentionem facit, ita ut *σ* abiectum sit [200]), necne, de hoc diiudicare nescio; *μέδιμνο-ς* porro huc pertinet, quod sicut *μέδων* [201]) a *mâ*, *met*, *μεδ* radice originem duxit, cui proprie metiendi notio est. Atque ad femininam *μνα* terminationem referendum est *μέριμνα* de quo conf. quae p. 33. diximus [202]), a rad *smr* quae praeter vulgarem re-

---

[197]) Citante Festo: Ingenti vadit curru, qua redditu' termo est; Forcellini in lex.

[198]) quibus addi potest tamquam femininum *columna*, quod sicut *cul-men* a *cel* radice (cellere, excellere, collis, *κολωνός*) repeto (*das Hervorragende*); atque ut *caerimonia* ab antiquiore *caerimonu-s*, ita *calumn-ia* a *calum-nus* derivatum esse videtur.

[199]) Inter *ἀτέραμνος* et *ἀτεράμων* dicendi usus fluctuabat aliquando; praecipiunt enim grammatici: (Bekk Anecdd. p. 459.) *ἀτεράμονες οὐκ ἀτέραμνοι*.

[200]) cuius rei exemplum afferunt *τέγος* pro *στέγος*.

[201]) translata a metiendo ad regendum seu gubernandum significatione. Cf. Pott E. F. I. pag. 195.

[202]) fortasse *λίμνη* (cf. *λιμην*, *λειμών*) simile est; cf. Pott sub rad. *li*; p. 208.

cordandi notionem, teste Rosenio [203]) etiam generalius usurpatur pro cogitare, anxium esse. Neutrius generis est κρήδεμνο-ν a rad. δε, *ligare*, *vincire*, cui in Sanscrito sermone respondet ***dâman***, de quo vide Pott l. c. I. p. 186. — Postremo ex Latina lingua affero *solemni-s*, quod similiter ac λάτρι-ς (cf. λάτρο-ν rad. λα-[λάζω, λαβ?]) a λάτρο-ς, vocabulaque in μι-ς ex μα, μο-ς, ex antiquiore *solemnu-s*, quod cum *vertumnu-s* comparetur, oresse coniicio (rad. *sol-soleo*).

Postquam demonstravimus, quam late suffixorum ab *m* incipientium familia divulgata sit, variaque eius membra, quo inter se nexu coniungantur, quaesivimus, alteram illam classem quae suffixa a vocali incipientia (*an*, *ana* etc.) complectitur, cuius magnam cum illa similitudinem adumbravimus, iam accuratius perscrutemur.

Ac primum quidem ***an*** aperte in personarum nominibus ex radice fictis adhibetur: ***takshan*** a ***taksh*** fabricari, Graecum τεκτ-ον, ***pûshan***, sol, a ***pûsh*** nutrire, ***râg'an***, rex, a ***râg'*** splendere. Graeci, ut solent, modo ο, modo ε pro antiquo ă usurpant, illud in τεκτ-ον, ἀλαζον, hoc in εἰρεν, quod vulgo ab ἐρ-ἐρεῖν, dicere, derivatur (cf. εἴρη concio, εἴρενες autem adolescentes Lacedemonii dicebantur, ut primum iis in concionem venire concessum erat). Producta vocalis, quam in lingua Sanscrita pauci tantum casus habent (***râg'ânam***), in quibusdam vocabulis Graecis per totam flexionem servatur; cuiusmodi est πευθήν et τελχίν, quod dicunt pro θελγίν dici, ἰκτίν, milvus, quem Pottius a perdendo, necando, (rad. ***kshi***) appellatum esse vult [204]). In solo autem masculino genere quum principio ***an*** suffixum, sicut ***man***, usitatum fuisse videatur, a Graecis Romanisque etiam in feminina translatum est, quod in Sanscrito sermone numquam fieri credo, in quo propria ***anî*** forma hunc in usum adhibetur. Cuius reliquiae in τέκταινα pro τεκτανια, μέλαινα, τέρεινα conspiciuntur [205]). Feminina igitur in εν, ον et ων Graeci formarunt — tam personarum nomina, ἡ Σειρήν, cuius originem ignoro, ἡ ἀρηγών, ἡ ἀηδών, quam rerum nomina ἡ εἰκών, ἡ σταγών, ἡ χλιδών, quae cum masculinis ὁ ἀγών, ἄξων, τρίβων (ωνος) com-

---

[203]) Radd. Sanscr. p. 65.

[204]) l. c. p. 203.

[205]) Eadem terminatio in λέαινα, θεράπαινα invenitur, quorum masculina in οντ exeunt. Unde nescio an pristina quaedam οντ et ον (cf. *leon* Latinum) suffixorum communio coniici possit. Sed quum iam Sanscrita lingua *ant* et *an* separet, cunctanter hoc dixisse velim.

parentur. Nec desunt adiectiva, quae *ων* utrique generi commune habent: *πέπων, πίων.* Romani hac terminatione utuntur et in masculinis: *pect-en, turben,* cuius nominativus vulgo abiecto *n* in *o* exit, antiquitus autem a themate non diversus erat[206]); in femininis, quae duplicem *ti-on,* iisque quae *i-on* terminationem habent (*ac-ti-on, eluv-i-on* cf. *eluvies*), de quibus pag. 15. dictum est; denique in neutris: *unguen,* quod cum Sanscrito *ank'ana* a rad. *ank' = ung* comparandum est, *sanguen, inguen,* quae obscuriora sunt.

δων a grammaticis tamquam proprium suffixum consideratur. Sed quum supra viderimus, *δ* litteram saepe insertam[207]), novaeque inde terminationis speciem effectam esse, ne in nominibus quidem in *δων* (*δον*) *δ* primitivum esse putamus. Atque arbitror Graecos initio hac littera usos esse ut *ον* suffixum cum radicibus vocali terminatis connecterent — cuiusmodi nomina sunt *σπα-δ-ον* a *σπα* rad. (cf. *νεοσπαδής* etc.), *φλε-δ-ον*[208]) a *φλε-φλέω*; postea consonam proprie ad hiatum vitandum interpositam in alia quoque nomina transiisse. Quodsi radici in consonam exeunti *δων*, quod veri suffixi vicem postea occupavit, additur, tum rursus vocalis quaedam copulativa inserenda est, aut brevis, quae in *σηπεδών, τυφεδών, μελεδών* (*δωνος*), *τηκεδών*, aut longa quali *ἀλγηδών, ἀχθηδών, χαιρηδών* utuntur. In his igitur similiter atque in *φωρ-ί-δ-ιο-ς* simul vocalis et consona copulandi gratia interposita est[209]). Ceterum pleraque quidem vocabula in *δων* feminina sunt, quae rei, aut abstractam notionem habent; neque tamen desunt personarum nomina. *Σαρπηδών* enim est nomen proprium masculinum, quod cum *τέκτων* comparandum est; videtur autem a rad. *sṛp, serp, ἑρπ* descendere, cuius in lingua Sanscrita significatio generalior est, eundi. *Σαρπηδών* igitur videtur viatorem, aut si mavis, incedentem proprie significasse. *ἡ τερ-η-δών* autem est femininum personae seu agentis, designat enim teredinem, vermem ligna terentem i. e. arrodentem. Latinum *do* sive *din* in *cupido, torpedo, libido* similiter ortum esse videtur. Sed num *gin* quoque in *origo, imago,* aliis, ex *on* vel *in* ortum sit, de ea re post

---

206) Cf. Schneider, Lat. Grammatik Bd. 3.

207) Vid. pag. 7.

208) Bene enim loquax quasi superfluens sermonibus designatur.

209) Cf. pag. 7. sq.

accuratius exploratas Latinarum litterarum leges demum iudicari poterit [210]).

Certius affirmare licet, nomina, quae in *ω* nominativum terminant, abiecto *n* ex illis in *ον* facta esse, id quod iam Buttmannus contendit [211]), nisus praecipue iis exemplis, in quibus *ον* et *ο* commutantur *εἰκόνος* et *εἰκοῦς* — *ἀηδόνος* et *ἀηδοῦς* — *χελιδών* et *χελιδώ* — *Θηλάνες* et *Θηλώ* — *Γοργών* et *Γοργώ*, Latinoque *Latona*, quod Graeco *Λητώ* respondet. Attulitque aptissime quod *κρείσσονα* in *κρείσσω*, *μείζονα* in *μείζω* contrahuntur, et quod in nominativis Latinis velut *sermo n* excidit. Nos ut hoc demonstremus omnia repetere possimus, quae supra de *n* litterae mobilitate et de nominativo interdum pro stirpe habito disputavimus [212]). Atque ne tantum quidem mutatur, si *ον* in *ο* transit, quantum si ex *μα-μη* fit, manet enim declinatio, quae illic alia facta est. Quamquam in plurali vocabula in *ώ* saepe in secundam declinationem transferuntur — quod haud dubie propter *ο* vocalem fit, quae ad illam prona est (*αἱ ἠχοί*). — Kühnerus [213]) haec nomina primitus *ος* terminationem habuisse censet, quae ex regula *ο* in nominativo in *ω* produxerint, sicut *σαφες* Nom. *σαφής*. Sed multa huic opinioni obstant. Primum enim *ς* in nominativis horum vocabulorum non conspicitur; *ς* autem ad stirpem pertinens, quod in nominativo exciderit vix in ulla earum, quae ad Sanscriticam stirpem pertinent, linguarum inveniatur. Immo vel neutra, quae ceterum eo inclinant, ut thema in fine corripiant, *ς*, ubi stirpem terminat, servant (*βλέπος*, *σαφές*). Tum quod formae in *ω* et *ων* permutantur, maioris momenti est, quam quod negligatur; propterea autem si Kühnerus *ν* et *ς* permutatas esse statueret, hoc audacius esse crederem. Itaque reiicienda eius sententia eaque, quam supra posuimus, retinenda esse videtur. Duo autem nomina exstant *αἰδώς* et *ἠώς*, quae in nominativo *ς* habent. Quae quod sola in hanc litteram exeunt, non casu factum esse puto. In his *ς* ad stirpem pertinere veri simile est, et ad haec Kühneri sententia restringenda esse videtur. *ἠώς* autem quod Lesbii *αὔως* efferebant [214]), apte cum Sanscrito *ushas* com-

[210]) Boppius has formas cum Sanscrito in comparat, *d* et *g* litteras aliter explicat. Ueb. einige Demonstrativstämme p. 22.

[211]) Gramm. ampl. I., 209.

[212]) cf. pag. 41.

[213]) Gr. ampl. I. p. 332.

[214]) cf. Ahrens de diall. Aeoll. p. 37.

paratur, ita ut aucta per gunam, quod vocant, radicali syllaba ex *ushas*-αὔσος, inde elisa ex Graecorum more σ littera [215]), αὔος factum sit, cuius nominativus est αὐώς, ἀϝώς ἀώς, ἠώς. Ex eodem fonte fluxisse videtur Latinum *aurora*, in quo *r*, ut saepe, pro *s* ponitur, *a* autem ex eo, de quo supra multa protulimus, more additum est. αἰδώς tam certam originem non habet; αἰδέομαι autem similiter ex αἶδος factum esse videtur, atque τελέω ex τέλος τελες (τετέλεσμαι).

Ex *an* autem *âna* factum est, sicut ex *man mâna* et ex *tar-târa*. Haec terminatio coniunctim cum *mâna* Sanscritis medii participiis propria est. Atque ita diviserunt inter se duo haec suffixa totam medii participiorum turbam, ut *mâna* eis radicibus, quae priorem coniugationem (*Hauptconjugation*), *âna* iis addatur, quae alteram sequuntur, alternet utraque terminatio in sola decima classe. Cuius rei causam in eo positam esse puto, quod prioris coniugationis verba vocalem ante omnes terminationes constantem habent, quae ut conservetur aptior fuit suffixum a consonante incipiens, quale est *man*, quod *a* littera augebatur, ut commodius per casus et genera moveri posset. Accedebat fortasse ceterarum medii formarum, quae pleniores esse solent, quam quae ad activum pertinent [216]) analogia, ut aucta forma eligeretur. Alterius coniugationis verba melius *âna* in se recipiebant, quod certe radicibus in consonam et in *i, u, ṛ* exeuntibus facillime annectebatur. Decimae autem classis verba, ni fallor, propter longitudinem formarum, ut *k'ôrajamâna*, interdum *âna* receperunt (*k'ôrajâna*). Confirmatur haec ratio eo, quod perfecta medii *âna* (*tutudâna*), habent, quippe quae vocali perpetua careant [217]), futurum autem participia in *mâna* format, quod praesenti prioris coniugationis comparatur (*bôtsjamâna* ut *bôdhamâna*). — Graeci vero omnia participia medii in μενο-ς terminarunt, in quo quum praeter verba in μι omnia eorum verba ad priorem coniugationem pertineant, cum Sanscrita lingua concinunt. Sed nomina quaedam suffixo cum *âna* comparando utuntur: τιθηνό-ς et τιθήνη [218]), quae a θε radice repetenda esse vi-

---

[215]) Cf. Kühn. I. p. 21.

[216]) *bhôdati-bhôdatê* etc. cf. Bopp vergl. Gr. p. 672.

[217]) Cf. Bopp Sktgr. pag. 221.

[218]) Cf. part. med. a *dhâ-dadhâna*.

dentur, (Sanscr. *dhá*), unde eadem fere significatione *dhátṛ* formatur[219]); σελήνη ex σελ radice, quae etiam in σέλας conspicitur; εἰρήνη, quod Giesius[220]) ab ἐρ, dicere, alii ab εἴρω, coniungere, deducunt; κολώνη, cuius originem ut inveniamus Latina *collis*, *columna, culmen, cellere* nos ducere posse videntur. Aperte transiit in hanc terminationem μελεδωνό-ς, quod personam curantem, μελεδώνη, quod curam significat (cf. μελεδών); simile est ἀγκών, unde *Ancona* Graecumque ἀγκοίνη. ἀξίνη quoque huc pertinet, quod Passowius haud inepte ab ἄγνυμι repetit. Romani hunc in modum *supinus*, ut videtur a rad. *svap-dormire, habena, arena* (*areo*), *verbena, rapina,* formarunt; propter diphthongum cum ἀγκοίνη *am-oenu-s* comparandum est[221]).

ana suffixum, in lingua Sanscrita frequentissimum, et mutatis vocalibus (ανο-ς, ανη, ανον, ονη etc.) apud Graecos non infrequens, a primario in personarum nominibus usu per varia notionis discrimina comitari possumus. Personas agentis designant Sanscr. *nandana-s,* exhilarator, κοίρανο-ς (cf. κύριο-ς), βάσκανο-ς (βάσκειν); transitum a persona in rem ostendit χόδανο-ς; aperte de rebus usurpantur στέφανο-ς, λίχανο-ς, οὐρανό-ς (rad. ὀρ-ὄρνυμι, ὄρος etc.[222]), passive explicandum videtur βάλανος-glans (τὸ βαλλόμενον, τὸ πῖπτον ἀπὸ τοῦ δένδρου). Femininum quoque personam significans servatur: ἐργάνη, Minervae cognomen. Cetera ad res vel actiones transferri solent, in quibus vocales secundum Graecorum licentiam variae, modo α, modo ο, inveniuntur, illud in στεφάνη, δρεπάνη, ἑρκάνη (ἕρκος), τρυπάνη (τρύπανο-ν, τρυπάω), πτισάνη (πτίσσω), δαπάνη, ὀχάνη; haec vocalis in ἡδονή, ἀγχόνη, αὐονή (ab αὔω, αὔω exsiccare et ab αὔω clamare), βελόνη (βαλ), περόνη (περ, πείρω, περάω), ἀκόνη (*ac-uo ac-er*, ἀκ-ρό-ς, *âçu*, ὠκύ-ς) ἀρπεδόνη, cuius brevior ἀρπεδών (δον) forma, si cui nominum in μόνη, (ἡγεμόνη) et ώνη (μελεδώνη) analogia non sufficit, probare potest, ονη ex ον propagatum esse. In uno vocabulo, sicut supra pro τορ, τερ — τυρ formam in μάρτυρ invenimus, ita hic pro άνη vel όνη — ύνη occurrit, in ὀδύνη, quod Aeolenses ἐδύνη efferebant[223]), ita ut vix dubitari possit, eius radicem esse ἐδ-

---

[219]) quod Wilsonius interpretatur: a *father*, a *parent*; fem. *dhâtrî*: a *mother*, a *fostermother*, a *nurse*.

[220]) über den Aeolischen Dialekt p. 187.

[221]) De quibus cf. Benary Lautl. I. p. 64.

[222]) Cf. Pott E. F. I., p. 123.

[223]) Iidem ἐδούς pro ὀδούς (ἔδοντ), quod ab eadem radice repetitur, dicebant; vid. Ah-

edere, consumere, quia dolor (rad. *del-deleo?*) hominem conficit et quasi comedit. Quibus omnibus conferatur Latinum *pagina,* quod recte ad *pag, pango* trahitur, quia, ut Forcellinius ait, charta fit ex philuris seu tunicis papyri com*pactis* et compressis; *trutina* autem, *machina, patina* a Graecis (τρυτάνη, μηχάνη, πατάνη) desumpta esse videntur, quamvis *patina* optime a *patendo* nominari potuerit. Neque Sanscrita lingua eiusmodi nominibus caret, quae, ut pleraque in ονη vocabula, abstracta sunt: *kâranâ,* causa a *kṛ,* facere; *ishanâ* desiderium ab *ish* desiderare, alia. — Saepius utitur hoc suffixo in neutro genere. Adeo enim vulgaria sunt nomina abstracta sic formata, ut fere infinitivi instar ab unaquaque radice fingi possint, et a grammaticis ad circumscribendam radicis notionem prae ceteris usurpentur. Graeca quae cum his formae causa comparantur usum paulo diversum habent. Neutra in *ανο-ν* enim non abstractae notionis esse, sed potius res verbi actu effectas designare solent: *ξόανο-ν* — quod scalpendo factum est, *κτέανο-ν* — *τὸ κεκτημένο-ν*; *πλόκανο-ν* — *τὸ πεπλεγμένον*; *πόπανο-ν* — *τὸ πεπεμμένο-ν, πέμμα*; *γλύφανο-ν, δρέπανο-ν, ὄχανο-ν, τρύπανο-ν* instrumenta designant. — Latini huiusmodi nomina, quantum scio, non formarunt; aliquatenus tamen his comparatur *facinus,* in quo puto duo suffixa inesse *in* (cf. *unguin*) et *us* (*vell-us*) atque simile est *it-er*, quod casus obliquos ex *itiner* themate format, quod a rad. *i*, addita *t* littera, duobus *in* et *er* (= *us*) suffixis deductum esse probatur[224]). Postremo, ne qui significationis modus desideretur, vel in adiectivis hoc suffixum usurpatur, tam apud Indos — qui *kṛpana,* miser, a rad. *kṛp* misereri, fecerunt, quam apud Graecos, qui multa adiectiva hoc suffixo ex pura radice formarunt velut: *ἱδανό-ς, ἱκανό-ς, στεγανό-ς στυγανό-ς, ἑδανό-ς*[225]), *πιθανό-ς, ἀγανό-ς.* Tum quae in *δανός* exeunt: *χλιδανό-ς, τηκεδανό-ς, ληθεδανό-ς, τυφεδανό-ς* ab abiectivis in *ανο-ς* non magis differunt quam nomina *φλεδών, τηκεδών, ληθεδών, τυφεδών* a nominibus in *ων* (*ον*). Ceterum

---

Ahrens de diall. Aeoll. p. 80.; qui falso Sanscr. *vêdanâ* cum ὀδύνη comparat; *ê* enim i. e. *ai* a Graeco *ε* vel *ο* prorsus diversum est; neque ullum digammatis vestigium apud Homerum invenitur. — Ceterum Aeoles etiam pro τέκτων-τέκτῡν (τεκτῦνος) dicebant (Ahrens p. 98.).

224) *pulvinus* et *pulvinar* similia sunt, quorum in priore unum, in altero duo suffixa conspiciuntur; alternat in modum *iter* vocabuli *jecur*, *jec-inoris; jecin-or* aperte duplex suffixum habet, quum lingua Sanscrita in *jakṛt* inter *kṛt* et *kan*, sive *ṛt* et *an* dicas, fluctuet. Bopp Sktgr. §. 189.

225) quod scholiasta ad Il. 14., 171. ab ἥδομαι repetit (cf. Buttm. lexil II., 14.); potest

quod plerisque in δανος vocabulis substantiva in δον respondent[226]) nostram de ανο-ς ex *an* vel ον origine sententiam confirmat. Eximenda autem sunt ab his adiectivis ea, quae a nominibus derivantur: μηκεδανό-ς (μῆκος), οὐτιδανό-ς (οὔτις), ἐρευθεδανό-ς (ἔρευθος).

Ita vero finita essent, quae de *man* et *an* formis dicenda erant, nisi infinitivus reliquus esset, cuius variae formae cum illis, quas modo tractavimus, cohaerent. Inveniuntur autem infinitivi Graeci terminationes hae: μεναι, μεν, μειν; εναι, εν, ειν, ην, ναι, αι (nam σθαι huc non pertinet). Ac primum quidem in his considerandis αι diphthongum in fine positam mittamus, quae modo adest, modo omittitur, et quaeramus, num ab uno suffixo omnes illae formae repeti possint, necne. Buttmannus, qui egregie de variis infinitivi formis loquitur, censere videtur, eas terminationes, quae ab ε incipiant, a formis μέναι, μεν, ortas esse[227]). Ceterum ut est vir cautus et prudens, dubitanter de hac re iudicat. Ahrensius vero aperte et pro certo contendit, θεῖναι e θέμ(ε)ναι, λέγειν e λεγειναι — λεγεμ(ε)ναι factum esse[228]). Sed exemplum μ consonae, ubi ν litteram praecedit elisae et ι vocalis in eius loco positae, neque ipse affert, nec puto apud Graecos inveniri. Qui saepissime μν coniungunt (μέριμνα, τέμνω, ὄμνυμι, δάμνημι, πρυμνός, μνάομαι, τέρεμνος, ἀτέραμνος) et nequaquam coniunctum harum litterarum sonum repudiasse videntur — quem vel proferebant, ubi proprie non erat: σεμνός pro σεβνός. Tum nititur Ahrensius λεγειναι forma, quae, quia λέγειν ex λεγεμ(ε)ν — quod non pronunciari poterat — non factum esse potest, ei necessario supponenda est, ita ut μν in hac forma in ιν mutata, inde abiecto αι λέγειν ortum esse contendat. λεγειναι autem vel similis forma non exstat; immo statim videbimus, probabilius esse, λέγειν e λεγέναι repetere, quod ex πελέναι formae nobis servatae analogia fingere licet. Haec igitur ratio alterius formae ex altera derivandi vix defendi potest. Boppius autem, v. cl., εναι abiecto μ e μεναι ortum esse existimat (Celtische Sprachen p. 58.) nisus analogia Sanscritae linguae, in qua *ána* similiter a *mána*[229]), degenerasse

ἔδανο-ς ad ἀδ radicem pertinere, quae est in ἀνδάνω, (ἕαδον) sicut βέλος a βαλ radice ortum est.

[226]) Cf. Lobeck ad Aiacem p. 403. sq. ed. 2.

[227]) Gr. I., p. 357. sq.; p. 515. annot. p. 490.; Kühnerus audacior est I, 110.

[228]) de diall. Aeoll. p. 89. — de coniug. in μι p. 11.

[229]) cf. supra pag. 47. et 52.

suspicatur (Sctgramm. p. 278.). Verum quum causa non conspiciatur propter quam *m* littera in syllabae initio elisa sit, nescio an satius sit, ibi quoque duas terminationes primitus diversas statuere, ita ut — similiter atque Celtae, qui aut in *tin*, aut in *mhuin* infinitivum terminant, Indi Graecique illi medii participiorum, hi infinitivorum duas inde ab initio habuerint terminationes, alteram ab *m*, alteram a vocali incipientem. Graeci infinitivi autem quamquam formae causa Sanscritis medii participiis in *âna* et *mâna* comparari possunt, tamen non ut haec suis utraque finibus circumscriptae sunt. Verum antiquissimo tempore in omnibus infinitivis, si eos exceperis qui in σθαι et αι exeunt, μεναι et μεν inveniuntur, quae cum vulgatis εναι, ναι, ειν alternant: ἀκουέμεν(αι), ἔδμεν(αι), ἀξέμεν(αι), τεθνάμεν(αι), εἰπέμεν(αι), μιγῆμεν(αι), ὁμοιωθῆμεν(αι)[230]. Postea breviores terminationes (εναι, ειν, ναι) adeo illis a μ incipientibus antepositae sunt, ut vix vestigia earum in seriore Graecitate relinquerentur. Nec puto in Homeri carminibus ullam certam rationem inveniri posse, cur hoc loco μεναι, μεν, illo ειν, ναι posuerit. Est formarum abundantia quaedam, antiquissimo sermoni maxime conveniens. Itaque quum μεναι et εναι aequalem dignitatem habeant, ex μεναι-μεν factum esse satis apertum est quoniam in iisdem verbis utraque terminatio fluctuat: θέμεναι - θέμεν, ἴμεναι-ἴμεν, ἀκουέμεναι-ἀκουέμεν. Quod minus clarum est de εναι, ειν. Nam apud Homerum quidem λεγέναι vel tale quid, unde primum λέγεν, Doricam formam, deinde, producta vocali, λέγειν factum esse velis, non legitur. Simplicius autem ex Parmenide duos nobis versus servavit, in quibus πελέναι legitur pro vulgari πέλειν[231]. Sera quidem auctoritate nituntur μαθεῖναι et καλεῖναι pro vulgaribus μαθεῖν et καλεῖν, sed recte Buttmannus (l. c.) suspicatur, haec ex vulgi loquela in libros intrusa esse. Tum Homerus φορῆναι habet (Il. β, 107.; η, 149.), quod recte idem ex φορεέναι contractum esse docet. Accedit, quod perfecti infinitivum, qui vulgo in έναι desinit, Dorienses in ειν, Aeolenses in ην terminarunt[232], et quod vel aoristi primi passivi infinitivus in σθην pro σθῆναι ab Aeolibus formatus est (μεθύσθην)[233], et aoristi secundi eiusdem vocis in ην pro ηναι (ἐντά-

230) Buttm. l. c. p. 358.
231) Quos affert Buttmannus in Museo antiquitatis studiorum Latino I., p. 244.
232) γεγόνειν, τεθνάκην, ἐπιτεθεωρήκην vid. Buttm. I., 358., Mus. Ant. I., 245.
233) Ahrens de diall. Aeoll. p. 241.

φην) tum φῦν pro φῦναι, πῖν pro πῖναι invenitur[234]). Denique δόμειν et εἴμειν formae, quae in Rhodiorum usu erant[235]), quum haud dubie ex antiquiore δόμεναι, εἴμεναι vel ἔσμεναι (ἔμμεναι) ortae sint, ε litteram αι syllaba abiecta productam esse confirmant. Ergo satis ampla analogia ειν, cuius loco Aeolenses ην, Dorienses brevius εν usurparunt ex εναι factum esse probatur. Hoc έναι autem verborum in ω purae radici affigebatur (πελέναι); in verborum in μι aoristis vocalem radicis cum ε contrahi videmus: δοῦναι, θεῖναι, στῆναι pro δοέναι etc., quod etiam in διδοῦναι factum esse videtur (Il. ω, 425.). Vulgo praesentia, ε vocali elisa, radici ναι syllabam adiungunt (διδόναι, τιθέναι, ἱστάναι); in quo participia conferenda sunt, quae quum in barytonorum contractorumque verborum praesenti activi οντ (ων) terminationem habeant, a verbis in μι ita formantur, ut ο vocali elisa ντ ipsi radici affigatur (τυπτ-οντ, ἱ-στα-ντ, θε-ντ). Eadem ratio est Doricarum διδόντι, τιθέντι, ἱστάντι, δεικνύντι formarum[236]); in iis quoque radicis vocalis superavit vocalem copulativam ita, ut haec elideretur; nisi forte in his formatio sine vocali antiquior est et sero demum ex analogia primae coniugationis haec irrepsit[237]). Quod utut se habet, infinitivi ἱστάναι, διδόναι etc., haud dubie ex plenioribus formis correpti sunt. Utrum infinitivus aoristi primi activi in αι omnino cum ceteris coniungendus sit, an ab iis separandus, nescio. Adscribo, ut facilius tota res conspiciatur, varias infinitivi formas:

I.	μεναι	ἀκουέμεναι	φορήμεναι	ἔμμεναι διδόμεναι	δόμεναι ἐλθέμεναι	ἴδμεναι γεγωνέμεναι ἑστάμεναι	ἀξέμεναι	μιγήμεναι	ὁμοιωθήμεναι
	μεν	ἀκουέμεν		διδόμεν	δέμεν ἐλθέμεν	ἴδμεν γεγωνέμεν	ἀξέμεν	τραφῆμεν	αἰσχυνθῆμεν
	μειν			εἴμειν	δόμειν				
II.	εναι	πελέναι	φορῆναι καλεῖναι	διδοῦναι	μαθεῖναι φῦναι	εἰδέναι γεγωνέναι	—	μιγῆναι	ὁμοιωθῆναι
	εν	πέλεν			λαβέν φῦν		ἁρμόσεν		
	ειν	πέλειν	φορεῖν		μαθεῖν	γεγόνειν	ἄξειν		
	ην	φέρην	ἐπαίνην	διδῶν	λαβῆν	τεθνάκην	ἐπιδεύσην	ἐντάφην	μεθύσθην
	ναι			διδόναι εἶναι (ἔσναι)					

[234]) de quibus v. Buttm. l. c. p. 248.

[235]) Corpus inscriptt. No. 2905.

[236]) de quibus vid. Buttm. l. c. I., p. 505.

[237]) διδόαντι, τιθέαντι, δεικνύαντι — Sanscr. *j-anti*, *tanv-anti* — cf. Bopp. Sktgr. p. 184.

Itaque postquam vidimus, duas primitivas infinitivi formas statuendas esse, quaeritur unde venerint, et quid de αι diphthongo in earum fine iudicandum sit. In qua casus cuiusdam signum latere gerundii Latini et Sanscriti, et magis etiam Sanscriti infinitivi analogia suadet (*amando, uktvá*, *uk-tu-m*) [238]. Atque probabile est, diphthongum illam ad locativum pertinere, cuius certissima vestigia in οἴκοι et χαμαί servantur [239]; quorum nominum thema in ο et α exit, quibuscum ι locativum designans in οι et αι coalescit. Atque quum α vocalis feminino praecipue generi in Graeca Latinaque lingua conveniat, feminina themata in εvα et μεvα statuenda esse videntur [240]) fere non diversa ab ονη et μονη, quae suffixa in abstractis nominibus velut ἡδονή, κλαυθμονή invenimus (cf. pag. 48. et 53.). μέριμνα quoque huc trahendum est, et εἱμαρμένη, perfecti participium, in quo sola generis vis abstractam notionem effecit. Accedit, quod in lingua Sanscrita infinitivus et gerundium a *tu* suffixo feminine usurpato formantur, Slavones autem, Lithuani et Celtae *ti* syllaba, quae in nominibus abstractis feminini generis Sanscritis Graecisque occurrit, infinitivum designant [241]); omniaque, quae de feminini generis in abstractis usu diximus, huc quam maxime pertinent. Locativus autem si cui ab infinitivo alienus esse videtur, ei exemplum afferre possumus ex lingua Sanscrita prorsus simile. Grammatici enim hoc casu semper in describenda radicum significatione utuntur, ac saepissime formam usurpant infinitivo in εvαι simillimam, velut ad explicandam *budh* radicem utuntur *vêdanê* [242]), locativo *vêdana-m* vocabuli; Graece si πυθ radicem circumscribere velimus, fere eodem modo (ϝ)ειδέναι usurpare liceat. Ille locativus enim prorsus infinitivi locum tenet. Ceterum mature, ut opinor,

---

[238]) Cf. Bopp Sktgr. pag. 287.; Celticos infinitivos quoque in *tin*, *sin*, *tuinn*, accusativos esse idem docuit. — Die Celtischen Sprachen p. 56.

[239]) Vid. Bopp Vergl. Gr. p. 227.

[240]) Boppius μεναι dativum esse putat (Celt. Sprachen p. 88.), Sanscrito *manê*, a *man* neutrali (de quo p. 39. egimus) comparandum, quae esset forma plane singularis. Sed quum εναι thema unde ut dativus deducatur, non habeat, neque, ut existimamus, ex μεναι ortum sit, locativum commendante χαμαί vocabuli analogia, grammaticorumque Indorum usu (vid. infra) et nominum in ονη et μονη similitudine, nostra fortasse opinio praeferenda est. — Pottius quoque αι femininum suffixum indicare dicit. E. F. II., p. 595.

[241]) cf. Bopp Die Celtischen Sprachen etc. p. 56.

[242]) Rosen radd. Sanscr. p. 211.

Graeci in infinitivo casum sentire desierunt, quo facto consentaneum fuit, ut forma quoque aboleretur, decurtatumque *μεν, ειν* pro *μέναι, ἑναι* supponerentur. Quare inutile ese existimo in eo, qui litteris mandatus est, sermone Graeco aliquid locativi simile in infinitivo quaerere. Tum quum Graeca poesis effloruit iam erat verus infinitivus.

Absolutis, quae de *tar, man, an* suffixorum familiis, plus una ratione comparandis dicenda erant, ad reliqua suffixa transeamus, probaturi, in his quoque eandem abstractae notionis rationem esse. Ac primum quidem de quibusdam suffixis loquamur, quae a *t* incipiunt *tu, ti, ta.*

tu in lingua Sanscrita, Graeca, Latina frequentissime in abstractis invenitur; apud Indos et Graecos maxime in feminino genere, apud Latinos in masculino; verum non magis haec, quam ceterae terminationes solis abstractis convenit. Masculina in *tu* Sanscrita actorem designant, velut *já-tu-s*, viator, a *já* ire, *bhâtu-s,* sol, a *bhá* splendere, *gâtu-s*[243]), luscinia, a *gât,* cantare (ἀηδών), *vahatu-s*, bos, a *vah, vehere,* trahere. Quibus quod respondeat Graecum affero *ὁ μαρπτύ-ς,* quod apud Hesychium legitur, raptorem significans; *ὁ φῖτυ-ς* quoque huc pertinere videtur, pro *φῦτυ-ς*, vocabulum sero factum. Masculina deinde in abstractam rerumque significationem transeunt in Sanscritis: *hêtu-s,* causa a *hi*, ponere, *kratu-s,* sacrificium a *kṛ*, facere, et in Latinis: *fructu-s, ortu-s, portu-s, habitu-s,* qualia Graeci non habent, feminina autem aeque in Sanscrito sermone, in quo infinitivi et gerundii loco usurpantur, et in Graeco vulgantur; *jóktu* igitur, infinitivi *jóktu-m*[244]) et gerundii *juktvâ* thema, comparandum est cum Graecis: *δαιτύ-ς, γραπτύ-ς, ἐδητύ-ς, βοητύ-ς, ἀρπακτύ-ς, ἀλαλητύς, σωφρονιστύ-ς.* Denique ne neutra quidem Graecis desunt *τὸ φῖτυ, τὸ ϝάστυ* (a rad. *vas*, habitare)[245]).

Simillima huic est *ti* terminatio. Qua masculina agentis formantur: *jati-s,* coercitor, a *jam,* coercere, *g'nâti-s,* qui cognoscit aliquem, co-

---

[243]) Wilkins p. 485.; Wilsonius hanc significationem non affert in lexico, sed aliam avem sic nominatam esse dicit, the köil or Indian cuckoo. Generalior *gâtu* vocabuli notio est cantor, in qua viri dd. concinunt.

[244]) comparanda sunt supina Latina in *tum* et *tu* cf. Bopp Sktgramm. p. 287.

[245]) Pott E. F. II., p. 551.

gnatus, *pati-s*, dominus a *pâ* dominari; Graeca: μάντι-ς a μαν, quod Sanscrite cogitare significat[246]), μάρπτι-ς a μαρπ rad. raptor (Aesch. Suppl. 806.). Vulgo autem τ in σ mutatum est ex more Graecorum, qui saepissime in mediis vocabulis ante ι vocalem σ pro τ littera ponunt[247]). Quare πόσι-ς huc pertinet, quod cum *pati-s* dudum Boppius comparavit, πάμφθερσι-ς, ὠτοκάταξι-ς, βορβοροτάραξι-ς, (de quibus vid. Lobeckii Paralipp. I., 238.), alia, quae de personis usurpantur. Latini hoc suffixo *hos-ti-s* formarunt, Gothones *gast(i)s*, cuius radicem *ghas* (vesci) Indi servaverunt; Graeci eadem in γαστήρ usi sunt[248]). Eadem terminatio in feminino genere frequentissime abstractam notionem nacta est in Sanscrita lingua, quae *gati-s* huius ope a *gam*, ire, format (itio), *tushti-s*, gaudium, a *tush*, gaudere, aliaque multa, quibuscum conferas Latina: *pesti-s*[249]), *fusti-s* et *messis* in quo *t* in *s* mutatum est. Etiam adverbia in *tim* vel *sim* (*tractim*, *caesim*) cum his coniungenda esse Boppius docet (Ueb. d. Einfl. d. Pron. pag. 24.). Graeci τι formam tantum in antiquis quibusdam formis, velut φάτι-ς, ἄμπωτι-ς (rad. πο, πίνω), μῆτι-ς (rad. μαν, μέμονα, μέμαα) et post σ litteram retinuerunt, in πίσ-τι-ς (πιθ), πύστι-ς (πυθ); ceterum σι usurpant, quae terminatio in βάσι-ς, φεῦξι-ς, πρᾶξι-ς, σκέψι-ς, ὄψι-ς, δόσι-ς innumerisque aliis conspicitur.

De *ta* suffixi in participiis passivi Sanscritis usu, quae cum Graecis adiectivis verbalibus in το-ς comparanda sunt et cum Latinis participiis in *tu*-s, vix est quod dicam. Quod quum in tribus linguis interdum active participia illa ponantur (*bhîta*-timens a *bhî*, timere; μενετό-ς a μέν-ειν manere; *conceptu-s*, active, qui *concepit*)[250]) non mirandum est, Graecos eiusmodi vocabulis, ut ἑρπετό-ν, δακετό-ν fere participiorum activi in modum usos esse. In his autem sicut in multis adiectivis vere verbalibus, velut μενετό-ς, εὑρετό-ς ε Sanscriti Latinique *i* vice fungitur (*vidita-s*, *fruitu-s*). Ex adiectivis verbalibus in uno exemplo aperte substantivum fieri videmus; ἡ πινυτή enim, quum πινυτό-ς de homine prudenti

---

246) Vid. Bopp gloss., ab eadem radice est μαίνομαι, quod proprie de furore prophetico et entheo usurpatur.

247) ἐνιαύσιο-ς ab ἐνιαυτό-ς, γερουσία pro γεροντία, δίδωσι pro δίδωτι, τύπτουσι pro τύπτοντι; cf. Kühneri Gr. I., p. 43.

248) vid. Boppii gloss. Sanscr. s. v. *ghas*.

249) cuius originem tentat Benaryus p. 240.; cf. *pessum*-do.

250) Bopp Sktgr. p. 280.; Buttm. I., 446.; Reisig's Vorlesungen p. 245. annot.

dicatur, prudentiam significat[251]). Similiter orta esse puto ἡ ἀϋτή, ἄτη, μελέτη, δαίτη, τελετή, γενετή, κοίτη (κει-κι St. *çî*), quem in modum iam veteres haec vocabula explicarunt (cf. schol. ad Il. 14., 180.). Verum etiam masculina actionis hoc suffixo formantur — ἄμητο-ς, κωκυτό-ς, ὑετό-ς, ἄροτο-ς, βίοτο-ς, κάματο-ς, θάνατο-ς, quae miram quandam tam notionis, quam formationis similitudinem habent cum Sanscritis in *thu-s* vocabulis, Latinisque in *tu-s* (cf. *vamathu-s* — ἔμετο-ς — *vomitu-s*). Neque tamen haec eo trahere audemus.

Alteri participii passivi formae in *na* respondent Graeca: δεινό-ς, σεμνό-ς (σεβ), ἀ-ιδ-νό-ς, τερπνό-ς, σπερχνό-ς, στυγνό-ς, δανό-ς (δα-δαίω), ἁγνό-ς[252]), quae fere participiorum usum habent. Certe ut adiectiva verbalia passive vel intransitive usurpantur. Cum his substantiva in *na* cognata esse probabile est, quae in tribus linguis exstant. In *svapna-s*, ὕπνο-ς *somnu-s* radix et terminatio eadem est. Similiter formatum est Sanscritum *viçna-s*, splendor, a *vik'h* splendere, Graecum πλύνο-ς et πλυνό-ς[253]), λύχνο-ς. Quo accedunt feminina: *jâk'nâ* precatio a *jâk'* precari, τέχνη (cf. pag. 37.) πάχνη (παγ-πάγος, πήγνυμι), φωνή (*bhâsh*-φημί)[254]), φάτνη, quod cum πάθνη alternat (πατ-πατέομαι), Latinum *luna* pro *lucna* (ut *lumen* pro *lucmen*). Neutra νο suffixo formata apud Graecos non inveni; Indi sic *an-na-m*, cibus, ab *ad*, *edere* formarunt, Latini *regnu-m*, *fanu-m*, quod Benaryus bene a Sanscrito *bhag'* colere repetit.

Restat nominum classis satis magna quidem in Sanscrito sermone, minus ampla in Graeco, eorum, quae cum participio futuri passivi in *ja* comparantur. Primitiva autem huius suffixi significatio adiectiva fuisse videtur, sine ulla temporis notione, quae in Sanscrita lingua post accessit. Exempla vero, quae Sanscritis *kshajja-s*, ad perniciem pronus, (*kshi*), *krajja-s*, vendibilis (*krî*), respondent sunt: ἅγιο-ς (ἀγ-ἅζομαι, *jag'*, colere), ἀΐδιο-ς, πάγιο-ς. Neque φθί-δ-ιο-ς, ἀμφά-δ-ιο-ς, ἀποσπά-δ-ιο-ς, quae δ inserunt, ab his aliena esse pag. 7. probare studuimus. Feminina in

---

[251]) Lobeck Paralipp. II., 360. sqq.

[252]) *jag'nas*, quod cum ἁγνό-ς forma congruit, in abstractam sacrificii significationem transiit.

[253]) ὀξυτόνως τὸ ἀγγεῖον, παροξυτόνως δὲ τὸ πλυνόμενον. Schol. ad Aristophan. Plut. 1062.

[254]) Nisi praestat in hoc ονη suffixum statuere, quod cum α radicali in ωνη contrahi poterat, ut α suffixi αιη cum ο radicis in χοάνη-χώνη.

in *ια*, quae a radice ipsa facta sint, num inveniantur, Buttmannus dubitat [255]) omniaque, quae ita formata esse videntur ex nominibus aut raris, aut deperditis derivanda esse censet. Verum quum in Sanscrito sermone eiusmodi vocabula abstracta velut *vidjâ* (fem.) scientia a *vid* scire, haud rara sint, Latinique nomina cum his comparanda velut *furia, serie-s, progenie-s, facie-s* [256]) finxerint, nescio an μανία, ῥαχία (ῥήγνυμι) et si qua alia extant, recte a radice ipsa repetantur.

Cetera suffixa, quibus Graeci ad formanda ex ipsa radice nomina usi sunt, fere adiectivis propria sunt, velut *ra*, in Sanscrito *dîpra-s*, splendidus a *dîp* splendere, Graeco λαμπρό-ς, aliisque adiectivis; quae terminatio raro in substantivis invenitur, velut ἕδρα, in quo ad rei nomen translata est. Neque a *ra* separanda sunt, quae in *ura* exeunt: Sanscritum *bhidura-s*, findens, a rad. *bhid* findere, Graecum ἐχυρό-ς (ὀχυρό-ς, ἰσχυρό-ς), Latinum *satur*, cuius nominativus aeque decurtatus est atque *vir*, *puer* omnesque in *er* nominativi, qui ad secundam declinationem pertinent. Tum *la* hic commmemorandum est quod praecedente *a* in *k'apala-s*, τρογαλό-ς, post ω vocalem in φειδωλό-ς, ἁμαρτωλό-ς reperitur, quibus quae respondent feminina abstractam significationem nacta sunt, velut εὐχωλή, τερπωλή, παυσωλή [257]); in ηλο-ς terminatur σιγηλό-ς, alia; ηλη similiter ut ωλη substantiva format: ξυηλή, γαμφηλή. Cetera adiectivorum suffixa huc non pertinent. Nam quum id nobis proposuerimus exponendum, quomodo in lingua Graeca abstractorum suffixa a personarum nominibus repeterentur, postquam cognatarum linguarum ope quae eo faciunt, disseruimus, multisque exemplis nostram sententiam confirmavimus finem scribendi facere licet.

---

[255]) Gr. II., p. 317.

[256]) Quintam enim declinationem a prima initio non diversam fuisse, demonstravit Boppius. Vergl. Gr. p. 142.

[257]) cum hac terminatione ωρη coniungendum esse, quod tantum radicibus, quae λ litteram habent (θαλπωρή, ἐλπωρή, ἀλεωρή) affigitur, recte docet Buttmannus, Gr. II. p. 319.

Quo facilius, quid voluerim conspiceretur, adieci tabulam, in qua pleraque de quibus egimus suffixa enumerantur, sic disposita, ut secundum ea, quae in hac commentatione probare studuimus, optimum videbatur.

ta							
na			πινυτή			ἑρπετό-ν	
ja	s	jâknâ	τέχνη	luna	anna-m	τέκνο-ν	regnu-m
		vidjâ	μανία	specie-s			

Annot. Prop…

suffixa, quae Graecoru… qua *μενο(ς)*, *minu(s)* etc. orta sunt, quasi his omnibus supponendam. — Ea

[illegible]

PHILOLOGIS GERMANIAE

CONGRESSIS DRESDAE M. OCTOBRI A. MDCCCXLIV

C. I. BLOCHMANNI
GYMNASII VITZTHUMIANI RECTORIS

ET SUO NOMINE

SALUTEM DICENTES

COMMENTARIOS VARII ARGUMENTI TRES

OBTULERUNT

G. BEZZENBERGER A. SCHAEFER G. CURTIUS
ANTIQUARUM LITTERARUM IN EODEM GYMNASIO MAGISTRI.

DRESDAE
TYPIS BLOCHMANNIANIS.

De verbi latini futuro exacto et perfecti conjunctivo

scripsit

Georgius Curtius.

Jo. Nic. Madvigius postquam in doctissima dissertatione, quam de formarum quarundam verbi latini natura et usu scriptam in opusculis academicis alteris Hafniae a. 1844 edidit, multa protulit nova vulgataeque grammaticorum doctrinae repugnantia: disputavit contra eum God. Hermannus in prooemio academico a. 1844 eo quod in viro summo omnes admirantur ingenii acumine. Nec dubitari potest, quin Madvigii sententiam et de futuris, quae in *so* exeunt, quae ille non exacta sed simplicia esse contenderat, et de conjunctivis in *sim* et *erim*, quos proprie non ad perfectum, sed ad futurum exactum pertinere posuerat, plane refutaverit. Sed quum praecipue significatione formarum subtiliter perpensa Madvigii opinionem docte sane et acute defensam, falsam tamen esse docuisset, in ipsas autem formas et earum originem minus inquisivisset, haud abs re visum est, oblata hac occasione, nonnulla quae mihi aut praetermissa aut minus vere hac de re disputata esse viderentur, in medium proferre.

Est autem quaestio, quam nobis proposuimus, duplex: et de futuris, quae in *so* cadunt, et de conjunctivis, quae in *sim* et *erim*. Atque ut ab illis initium faciam, praemonendum est, significationem formarum Madvigio plane contradicere. Ipsi enim, quamquam *faxo, axo, liberasso* simplicia futura esse contendit, nihilo minus concedendum erat, habere significationem futuri exacti. Et quod solum supererat viro doctissimo refugium, quod *faxo* et *indicasso* quibusdam locis Plautinis antiquam, quam inesse putavit, notionem retinuissent, hoc ab Hermanno (p. 9) refutatum est. Verum id concedamus oportet Madvigio, ut, nisi in forma insit aliquod perfecti temporis signum, vix aliter judicari possit, quam ab ipso judicatum est, nimirum transiisse illa paulatim a simplicis ad futuri exacti significationem. Hoc enim tempus secundum naturam suam derivandum erat a perfecto, ita quidem, ut perfecti stirps *egi*, *τέτυφα* cum futuro verbi substantivi *ero*, *ἔσομαι* composita efficeret *egero*, *τετύψομαι*.

Itaque quaeritur, num *axo*, *faxo*, *liberasso* quidquam habeant cum perfectis commune, vel utrum formae futuri exacti esse possint necne. Nam si possunt esse, quoniam significatio plane est futuri exacti, nulla causa erit, cur vere futura exacta esse dubitemus.

Jam vero Madvigius, id quod jam ante eum Boppius docuerat (*Conjugationssystem* p. 98, cf. ejusdem grammat. comparat. p. 917, Madvigii opusc. alt. p. 60 annot.) censuit, Latinum *axo* haud aliter, quam Graecum ἄξω a praesente *ago* formatum esse. Hermannus contra monuit, eam opinionem in verbis tertiae quidem, quae vocatur, conjugationis aliquam habere veri speciem, sed in *levasso*, *liberasso* duplex *s* vix aliter, quam *ve* syllaba in modum *levasse, levassem* formarum elisa explicari posse. Permirum enim haud dubie foret, si *levassem* et *levassim* prorsus essent diversae originis. Nec possit ulla probabilis ratio inveniri, propter quam *s* duplicatum sit. Nam si quis ad linguam Sanscritam confugere velit, praebet ea sane terminationem *sjâmi*, unde similiter, atque in Graeco μαχέσσομαι (pro μαχεσjομαι) mutato *j* in *s* duplex sibilans in *liberasso* pro *liberasjo* oriri possit; at quum nullum hujus *j* consonae vestigium in futuro latino remanserit, sitque ea littera adeo fugax elisuque facilis, ut vel in vetustissimis hymnis Vedicis pro *sjâmi*, *sâmi* inveniatur: parum veri simile est in forma latina adeoque derivata, qualis est *liberasso*, ullas ejus servatas esse reliquias. Quod vero attinet ad *habessit*, *prohibessit*, *licessit*, a verbis in *eo* formata, non possum Hermanno assentiri, qui ea ex *habuesit, prohibuesit, licuesit* orta esse dicit. „Nam," inquit, „quum non *habúeso*, *habúesim* sed *hábueso*, *hábuesim* pronuntiarent, non potuit abjici *u*, quod pro *e* illatum erat, sed extrito sequente *e* contractio indicanda erat duplicatione litterae sibilantis." Nam ut accentum praetermittam, de quo conferenda sunt, quae idem vir clarissimus in elementis doctrinae metricae p. 64 disseruit, primum non videtur recte illud *u* illatum vocasse, quum potius *ui* ex *fui* ortum sit, cf. Boppii gramm. comp. p. 804 ejusque libri censuram meam in diario antiquitatis studiorum 1843 No. 110 p. 878; deinde cur elidatur litteraeque sibilantis, quae post interpositum *e* sequitur, duplicatione suppleatur, sufficiens causa non videtur esse, neque exempla similis rei aut apud Latinos aut in ulla alia lingua factae inveniri existimo. Immo antiquissimam formam perfecti illorum verborum eam quae in *delêvi* conspicitur fuisse

habevi, *licevi* jam Struvius recte docuit in libello docto et subtili, quem de Latina declinatione et conjugatione scripsit (Regimonti 1823). Similitudo enim, quam *amavi*, *audivi* praebent, non sinit nos dubitare, quin etiam ex *habevi* *habui* similiter decurtatum sit atque ex *vetavi*, *domavi*, quae supponere licet, *vetui*, *domui*. Itaque antiqua *habevesit*, *licevesit* prorsus eadem lege in *habessit*, *licessit* mutata esse puto, quae pro *liberavesit* *liberassit* substitui jussit.

Sed difficilius judicium est de iis formis, quae tertiae conjugationi adnumerari solent. Nam *duxo* quidem quin ex *duxeso*, *ausis* quin ex *ausesis*, *excessis* quin ex *excessesis* factum sit, nemo dubitabit. *Axo* autem, *capso*, *faxis*, *taxis* omnesque formae, quae a perfecto in *si* cadente deduci nequeunt, non sunt faciles explicatu. Hermannus suspicatur antiqua perfecta *capsi*, *faxi*, *taxi* supponenda esse. At eorum neque ullum nobis exemplum relictum est, neque veri simile est ea unquam formata esse. Discimus enim ex comparatione Sanscritae, Graecae, Gothicae linguae vetustissima perfecta ea esse, quae duplicatione utantur *pepigi*, *totondi*, minus vetusta, quae pro duplicata syllaba productam habeant (*com*)*pêgi*, *fêci*, *êgi*, multo recentiora ea, quae in *si* et *ui* exeant *scripsi*, *rapui*. Nam classes duae priores natura sua simplices sunt, posteriores compositae. Scilicet *ui* nihil est quam decurtatum *fui* (*potui* = *pot-fui*); *si* autem antiquum perfectum radicis *es*, Sanscritoque *âsa* ab *as* comparandum esse in censura grammaticae comparativae Boppianae l. l. demonstrare conatus sum. Ergo si pro *egi*, *feci*, *tetigi* antiquitus *axi*, *faxi*, *taxi* in usu fuisse statueremus, minus simplices suaque natura recentiores et compositas formas pro simplicibus substitutas esse conjiceremus, id quod neque per se probabile est, neque potest exemplis demonstrari. Nam quum in nonnullis verbis terminationes *si* et *i* inter se permutentur, ita quidem, ut a simplice *pungo pupugi*, ab *expungo expunxi*, a simplice *lego legi*, a tribus tantum compositis *lexi* formetur, rarissima tamen sunt exempla *i* terminationis, quae videatur pro *si* substituta esse. In his solum fere alicujus momenti est *parsi*, quo Terentius, Plautus, Cato (apud Festum) usi sunt pro vulgato *peperci*. Verum tamen quum etiam *peperci* apud Plautum inveniatur et utraque forma simul in usu fuerit, illo exemplo parum ii proficient, qui *egi* pro *axi*, *tetigi* pro *taxi* serius substitutum esse opinantur. Atque etiamsi re vera invenirentur perfecta in *si* antiquitus pro duplicatis vel

productis usurpata, nihilo minus ratione formarum illarum evinceretur, illa per abusum quendam in antiquiorem sermonem irrepsisse, sicut haud dubie alia quoque apud antiquissimos Latinos minus sunt ad normam facta, quam apud seriores. Nam *poposci*, *pupugi* magis primitiva esse, quam vetera *peposci*, *pepugi* in aperto est, et redierunt seriores ad pristinam formam, quum *s* finale, quod ab antiquioribus tam parum distincte pronuntiatum est ut ante consonantem elidi posset, clariore voce pronuntiabant. Sed revertamur ad nostram quaestionem. Quum neque per se sit veri simile, *axo*, *faxo* originem duxisse ab obsoletis perfectis *axi*, *faxi*, neque tale quid exemplis probari possit: quaeritur, unde derivanda sint, et num forte aliter quam Hermannus proposuit, a perfecto derivari possint, cujus significatio, si re vera erant futura exacta, requirebatur. Atque jam supra monuimus perfecta illa disyllaba, in quibus prima syllaba producitur, contractione quadam ortas esse. Id etiam Osca lingua comprobatur, in qua nobis servatae sunt formae *fefacid*, *fefacust*, illa pro *fecit*, haec pro *fecerit* posita. A *fefaci* igitur, quo etiam Latini principio usi esse videntur, futurum exactum formandum erat *fefaceso* seu *fefaxo*. Atque ex hoc *fefaxo* praecisa syllaba duplicata, quam rarissime Latini servarunt, *faxo* ortum esse existimaverim. Eum vero in modum quum *faxo*, *capso*, *taxo*, *sponso* explicari liceat, *axo* tamen paulo alius originis esse videtur. Nam quum ne minima quidem vestigia apud Romanos reperiantur iterationis, quae in verbis a vocali incipientibus adhibeatur, neque igitur nobis liceat *agagi* formam in modum fere Graeci *ἤγαγον* factam supponere, illud *axo* potius ab obsoleto *âgi* pro quo seriore tempore *egi* in usum venit, ortum esse conjecerim. Neque tamen *e* litteram, quae in compositis *occepso*, *incepso*, *injexo* conspicitur, quidquam arbitror commune habere cum *e* perfectorum *occepi*, *incepi*, *injeci*. Nam etiam *surrepso* invenitur a *surripio* factum, cujus perfectum non *surrepi* est, sed *surripui*. Itaque illud *e* loco *i* vocalis positum est ea lege, quae in syllaba consonante clausa hanc in illam mutari jubet; non enim *inciptum*, *effictum* sed *inceptum*, *effectum* os Latinum requirebat (Cf. Madvigii gramm. lat. § 5 not. 8).

Ergo quum nobis demonstrasse videamur, futura illa in *so*, quantum ad formam pertineat, bene posse a perfecto deduci et pro exactis haberi, significationem esse futuri exacti ipso Madvigio fatente: rejicienda haud dubie est

ejus opinio, quam in grammaticam latinam inferre conatus est et redeundum est cum Hermanno ad vulgarem doctrinam.

Transimus ad conjunctivos qui in *sim* et *erim* cadunt. Ii a Madvigio non perfecti, sed futuri exacti esse dicuntur, ita ut eadem conjunctivi terminatione ab indicativis *faxo*, *fecero* facti sint, quae est in *sim* et *velim* (p. 97). Recte vero illas formas Hermannus (p. 16) ait ex compage ortas esse perfecti (*feci*) cum conjunctivo *sim*. Quamquam illud *e*, quod est in medio, nolim cum viro clarissimo per obsoletum *esim* explicare, sed cum Boppio (Gr. comp. p. 971) malim pro finali littera stirpis perfecti habere, quae ante *r* (*fecerim*), ut fit, in *e* degeneravit, ante duplicem autem sibilantem (*fecissem*) servata esse videtur. Neque tamen hoc ullo modo ad ipsam quaestionem pertinet, in qua haud dubie Hermannus verum vidit. Sed non intelligo, quo jure v. cl. contendere possit „eam terminationem (*sim*), sive perfecto, sive futuro exacto adjungeretur, gignere debuisse *amavesim*, *amassim* et *amaverim*, *amarim*.“ Nam quum futurum exactum eodem Hermanno concedente contineat et perfecti stirpem (*feci amavi*) et futurum *ero* sive *eso*, si rursus adjungeretur *sim*, inde inaudita quaedam oriretur forma *amavesesim* vel *amavessim*. Duae enim certe requirerentur praeter perfecti signum sibilantes, altera ad futurum, altera ad conjunctivum designandum. Et eo quidem quam maxime Madvigii opinio mihi refutari videtur, quod non utrumque et futurum exactum et conjunctivus, sed alterutrum tantum illa forma indicatur. Itaque *faxit*, quod nostra quidem sententia ex *fefaxit* ortum est, aut est conjunctivus perfecti, cujus antiqua forma in indicativo *fefaci* fuit, aut futurum exactum. Indicativus vero et conjunctivus futuri exacti simul esse non potest. Praetermitto significationem, de qua egregie Hermannus exposuit. Demonstravit enim, usum formae illius, si primitus perfecti conjunctivum fuisse dicamus, bene explicari posse, sin contra futurum exactum in perfecti conjunctivum quasi degenerasse statuamus, hoc prorsus esse inauditum et bonae rationi contrarium. Omnis autem Madvigii error in eo versatur quod originem formarum non prorsus cognovit. Nam etsi concedit illud *s* quod est in futuris exactis, verbi substantivi esse, tamen non intellexisse videtur, nos in illis certam quandam formam verbi *esse* habere: futurum dico. Atque hac quidem re illa refutantur, quae p. 72 subtilius quam verius de variarum formarum origine disputat. Nihil enim est incerti et in-

distincti in littera sibilante. Immo ea ipsa littera nihil omnino nec temporis nec modi designatur. Est tantum pars radicis verbi *esse*, cujus certa quaedam forma ad futurum (*eso* s. *ero*), alia ad aoristum apud Graecos (ἔ-σα), alia ad conjunctivum imperfecti (*face-sem* s. *facerem*) alia denique ad perfecti conjunctivum (*fece-sim* s. *fecerim*) indicandum adhibita est. Sunt hae formae compositae cum certis temporibus modisve verbi substantivi, quod paulo alium in modum in recentioribus linguis auxilio vocari solet. Jam vero futurum in omnibus linguis sua natura prope abest a conjunctivo vel optativo. Eam ob causam sunt qui existiment futurum Graecum ex aoristi conjunctivo ortum esse, id quod per se veri simile Doricae dialecti Sanscritaeque linguae comparatione refellitur. Dorienses enim non σω sed σιω terminatione utuntur, quae respondet Sanscrito *sjâmi*, quod ad aoristum, cujus signum non est *sj* sed *s* purum, omnino non pertinet. Sed Boppio auctore futurum potius ab optativo, qui a grammaticis Indicis potentialis vocatur, derivandum esse didicimus. Etiam Latinum *sim* vel *siem* (Sanscr. *sjâm*) optativus est, ex *esim* vel *esiem*, cujus ne Sanscrita quidem lingua primam vocalem servavit, decurtatus. Inde pendet futurum *eso*, pro *esio*, *esis*, *esit*, cujus prima tantum persona in similitudinem temporum principalium inflexa est. Atque haec est causa, propter quam *sis*, *sit*, *simus* etc. ubi perfecto adjunguntur modo futurum exactum, modo perfecti conjunctivum significant. Nec mirandum, si tertia pluralis in forma composita ubique est *sint* vel *rint* (*faxint*, *fecerint*), mero enim errore Boppius gr. comp. p. 918 *faxunt* posuit, numquam ut in futuro verbi *esse sunt* vel *erunt*, quoniam communis utriusque formae ex conjunctivo origo fuit. Animadvertas etiam quantitatem syllabae penultimae in numero plurali. Interdum enim, quod in futuro exacto et perfecto promiscue fieri Madvigius subtiliter demonstravit (p. 98), penultima producitur: *capsímus*, *dederítis*. Explicatur hoc origine formae, nam *símus*, *sítis* contracta sunt ex *siemus*, *sietis* (Sanscr. *sjâma*, *sjâta*, Graec. εἴημες, εἴητε). Itaque vel productione hujus syllabae inesse in omnibus formis eandem formam verbi substantivi, nec *aximus* cum decurtato ἄξομες comparari posse probatur.

Verbo dicam de plusquamperfectis *faxem*, *percepsem*, quae recte contra Madvigii conatum Hermannus p. 6 defendit. Eas enim formas ex nostra sententia ex *fefaxem*, *percipsem* ortas esse, facile intelligitur.

De locis nonnullis Ciceronis Plinii Frontonis

scripsit

Arnoldus Schäfer.

Cic. or. pro Cn. Plancio 32. ***An, cum patres conscripti illo senatus consulto quod in monumento Mari factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerint (unus enim fuit de magistratibus aut pro magistratibus defensor salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putavit), ei ego a me referendam gratiam non putem?*** Verba ***cui senatus pro me gratias agendas putavit*** languide atque inepte praecedentibus addita esse solus editorum Io. Aug. Ernestius intellexit. Voluit igitur, ut aliquo certe sententiae vinculo reliquis adiungerentur pro indicativo ***putavit putaret.*** Poterat facilior eius loci medicina inveniri. Omnia enim recte se habent, si hoc modo distinguatur: ***An, cum patres conscripti illo S. C. quod in monumento Mari factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerint, unus enim fuit de magistratibus aut pro magistratibus defensor salutis meae: cui senatus pro me gratias agendas putavit, ei ego a me referendam gratiam non putem?*** In apodosi bipartita ex more Ciceronis verbum fere verbo vides respondere, neque in protasi quidquam desideraveris. Recte enim ab Eduardo Wundero observatum est non ipsum Cn. Plancium in illo senatus consulto nominatim appellatum fuisse, sed in universum magistratibus quotquot extra urbem Ciceronis salutem defendissent gratias a senatu esse actas: unus autem Cn. Plancius quum id fecisset, Ciceronem temporis causa uni Cn. Plancio gratias esse actas ab senatu posuisse, idque quo iure ponat membro parenthetico explicavisse. Verba autem ***aut pro magistratibus*** Reinholdus Klotzius iure mihi contra Wunderum defendisse videtur.

C. Plinius ad Traianum imperatorem ep. 13. ***Scripsit mihi, Domine, Lycormas, libertus tuus, ut, si qua legatio a Bosporo venisset urbem petitura, usque in adventum suum retineretur. Et legatio quidem dumtaxat in eam civitatem in qua ipse sum, nulla adhuc venit: sed venit tabellarius Sauromata, cuius***

ego usus opportunitate, quam mihi casus obtulerat, cum tabellario, qui Lycormam ex itinere praecessit, mittendum putavi, ut posses ex Lycormae et ex regis epistolis pariter cognoscere, quae fortasse pariter scire deberes. Merito offendit Io. Casp. Orellium, quod legitur in editione principe, quam esse Avantianam a. 1502 eamque solam ad codicis fidem expressam vir ille doctissimus historia critica epistolarum Plinii et Traiani a. 1838 docuit, *tabellarius Sauromata:* Plinius enim, ut cuius auctoritate ille nuntius missus esset ex formulae lege imperatori significaret, scribere debebat *tabellarius Sauromatae regis,* sicuti etiam iterata mentione ep. 14 *regem Sauromaten* dixit et ep. 15 *legatum regis Sauromatae.* Et quae hac ipsa in epistola legimus *ut posses ex Lycormae et ex regis epistolis pariter cognoscere* sqq. indicare videntur iam ante fuisse regem Sauromaten nominatum. Orellius dum scribi vult *tabellarius Sauromatae* non adiecta regis appellatione loquendi genus inducit parum conveniens epistolae de rebus publicis ad imperatorem datae. Sequens verbum *cuius* recte dictum putat Orellius, quod quo modo per linguae latinae rationem defendi possit equidem non video. Neque est opportunitas in adventu legati, sed in eo posita, quod hoc ipso tempore Lycormae epistolae ad imperatorem perferuntur: hac de causa Plinius censet non esse sibi Lycormae adventum expectandum, sed statim tabellarium regium Romam mittendum, ut utraque parte audita integrum sit imperatori de rebus Sauromatae regis iudicium. Qui sententiarum nexus ut restituatur pro *cuius* scribendum puto *regis,* deinde cum editione Aldina inserendum *quem.* Totum igitur locum ita lego: *sed venit tabellarius Sauromatae regis, quem ego usus opportunitate, quam mihi casus obtulerat, mittendum putavi* sqq. Mutato autem consilio, ne libertum imperatoris offenderet, Plinius legatum illum aliquot dies apud se retinuit: quod cur diutius facere noluerit epist. 15 diligenter excusat. Apparet eum quodam modo regis partes suscepisse et, ne illi incuria fieret, eius vel preces vel defensionem ad imperatorem invito Lycorma pertulisse.

Traianus ad Plinium ep. 84. *Interpretationi tuae, mi Secunde carissime, * existimo hactenus edicto divi Augusti novatam esse legem Pompeiam, ut magistratum quidem capere possent ii, qui non minores duorum et viginti annorum essent, et qui cepissent, in senatum cuiusque civitatis pervenirent.* In hoc loco *et qui cepissent* ab Orellio ex Beroaldi coniectura scriptum est, quum

quod in editione principe legitur *quia* ad sententiam sit necessarium. Continetur enim his verbis quam ob causam illi in senatum legendi sint, quem ad modum Traianus statim post dicit *ceterum non capto magistratu eos, qui minores triginta annorum sint, quia magistratum capere possint, in curiam etiam loci cuiusque non existimo legi posse.*

Similiter Orellius in Plinii epist. 99 temere veterem scripturam repudiavit. Locus hic est: *Amastrianorum civitas, Domine, et elegans et ornata, habet inter praecipua opera pulcherrimam eandemque longissimam plateam: cuius a latere per spatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re vero cloaca foedissima.* Pro *re vero*, quod legitur apud Hieronymum Avantium, Orellius scripsit *re vera* ex Beroaldi coniectura neque necessaria neque ad sententiam aeque apta.

Plin. ad Trai. ep. 85. *Ego quum dandam dilationem et te consulendum existimarem in re ad exemplum pertinenti, dixi utrique parti, ut postulationum suarum libellos darent: volebam enim te ipsorum potissimum verbis ea, quae erant proposita, cognoscere. Et Dion quidem se daturum dixit. Et Eumolpus respondit complexurum se libello quae rei publicae peteret: ceterum quod ad sepultos pertinet, non accusatorem se, sed advocatum Flavii Archippi, cuius mandata pertulisset. Archippus, cui Eumolpus, sicut Prusiade, assistebat, dixit se libellum daturum. Ita nec Eumolpus nec Archippus quam pluribus diebus expectati adhuc mihi libellos dederunt: Dion dedit, quem huic epistolae iunxi.* In hoc loco primum id non recte ab I. C. Orellio factum est, quod particulam *et* ante Eumolpi nomen eiectam volebat: optime enim se habet, ea significatione, ut sit *quoque*. Est autem illa particula, quod M. Hauptius animadvertit, etiam ante Archippi nomen restituenda, ut scribatur *Et Archippus — dixit se libellum daturum.* Post *pertulisset* facillime *et* excidere potuisse appanet. In responso deinde Eumolpi *ceterum quod ad sepultos pertinet non accusatorem se, sed advocatum Flavii Archippi,* modus indicativus recte se haberet, si verba *quod ad sepultos pertinet* Plinii explicationem eorum, quae Eumolpus dixisset, continerent: quae quum sint coniuncta cum Eumolpi responso coniunctivus *pertinerent* reponatur necesse est. Praeterea in his verbis infinitivum *esse*, quo non facile caremus, inter vocabula *se* et *sed* excidisse puto. Quum in sequentibus verbis *ita nec Eumolpus* sqq. contineatur quod

praecedentibus opponatur, particulae *ita* locus non est, sed requiritur adversativa particula: quam si restituimus, *At neque Eumolpus neque Archippus — adhuc mihi libellos dederunt* etc. omnia recte se habent. Corruptum esse *ita* iam G. E. Gierigio visum est, quanquam emendationem non proposuit: G. H. Schaeferi, *ita* de tempore intelligentis, ut sit *deinde*, prorsus inepta ratio est.

Plin. ad Trai. ep. 97. *Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent esse se Christianos aut fuisse. Cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae — ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo: — dimittendos esse putavi. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse* sqq. Quod initio huius loci promisit, plures se deorum species nominaturum esse, ita exsecutus est Plinius, ut primos poneret eos, qui ullo se tempore Christianos fuisse negaverant, deinde eos memoraret, qui initio dixerunt, post negaverunt. Quae membra orationis ut restituantur verba *qui negarunt esse se Christianos aut fuisse* cum sequentibus coniungenda sunt. *Negarunt* lego pro eo, quod in editionibus antiquis est, *negant*: coniunctivus enim *negarent*, quae Is. Casauboni coniectura est, a sententia non requiritur. Incidere autem virum doctissimum in hanc suspicionem necesse erat, quo tempore editiones omnes retinebant I. M. Catanaei interpolationem *ergo dimittendos putavi*, qua nihil magis Plinii verba turbare potest. Neque illa verba, de quibus dixi, cum praecedentibus coniungi debere apparet ex sequentibus, *alii ab indice nominati esse se Christianos, dixerunt et mox negaverunt.* Delati igitur sunt illo libello multi homines tanquam Christiani, quorum alii quod crimini dabatur statim negaverunt, alii supplicii metu compellati sunt, ut quod initio confessi erant mox infitias irent.

Plin. ad Trai. ep. 109. *Athletae, Domine, ea, quae pro iselasticis coronaminibus constituisti, deberi sibi putant statim ex eo die, quo sunt coronati* etc. *Coronaminibus* Orellius de coniectura scripsit, quum in editione principe legatur *cohortaminibus*. Est autem *coronaminis* vocabulum perquam dubiae auctoritatis, quippe quo nemo scriptorum quod sciam usus sit praeter Appuleium apud quem est, metamorph. l. 11. p. 261, *mulieres candido splendentes amicimine, vario laetantes gestamine, verno florentes coronamine.* Sive hic scrip-

tor illud verbum finxit sive ex vulgi sermone recepit, Plinius certe eo uti non potuit. Neque ad sententiam huius loci aptum est: iselastica enim dicuntur certamina, non coronae. Quod quum recte intelligeret certaminum mentionem requiri, Ph. Beroaldus scripsit, *ea quae pro iselasticis certaminibus constituisti*, in qua scriptura eum reliqui editores omnes secuti sunt. Quam quo iure nimis infinitam dixerit Orellius non video: praemia enim pro certamine nisi victori non dari sponte intelligitur. Plane eodem modo et Plinius paulo post loquitur et in sequenti epistola Traianus, *obsonia eorum certaminum, quae esse iselastica placuit mihi, — retro non debentur*. Retinendam igitur censeo Beroaldi coniecturam.

Mox haec sequuntur: *Iidem obsonia petunt pro eo agone, qui a te iselasticus factus est, quamvis vicerint ante quam fieret. Aiunt enim congruens esse, sicut non detur sibi pro his certaminibus, quae esse iselastica post quam vicerunt desierunt, ita pro eis dari, quae esse coeperunt.* Continetur his verbis athletarum haec ratiocinatio: ad ea certamina quae iselastica esse Traiani iussu desierunt, imperatoris edictum retro ita valet, ut obsonia eorum ex priore tempore debita non amplius dentur: quod damnum nobis illatum ut compensetur, aequum est etiam ad id certamen quod iselasticum nunc factum est illud edictum retro valere ita, ut pro victoriis eo in certamine antequam factum est iselasticum reportatis nobis obsonia praebeantur. Postulant igitur athletae, ut non magis deminutus certaminum honor ad ante acta pertineat quam auctus. Sic omnia bene cohaerent neque ulla ratione intelligo quid Orellius sibi voluerit coniectura *sicut nunc detur*. Aliud vero vitium huic loco inesse puto. Mira enim est numerorum variatio, *iidem obsonia petunt — aiunt enim congruens esse sicut non detur sibi* — et paulo post: *Hic quoque non mediocriter haereo, ne cuiusquam retro habeatur ratio, dandaque quae tunc, quum vincerent, non debebantur.* Postremo loco quod in editionibus antiquis est *dandamque quod — non debebantur* Orellius bene correxit *dandaque quae — non debebantur*: scribendum est autem praeterea *sicut non dentur*, nam hic quoque obsonia intelliguntur.

Traian. ad Plin. ep. 120. *Obsonia eorum certaminum, quae iselastica esse placuit mihi, si ante iselastica non fuerunt, retro non debentur.* Offenderunt quae interposita sunt verba, *si ante iselastica non fuerunt*, interpretes, ut de

mutanda scriptura cogitarent. Qua nihil est sanius, modo recte explicemus. Sententia Traiani haec est: obsonia certaminum iselasticorum, si meo demum decreto facta sunt iselastica, retro non debentur: sin vero iam ante quam ego de illis constituerem atque in iselasticorum numerum referrem iselastica fuerunt, obsonia praebenda sunt. Alteram sententiae suae partem Traianus reticet, quia de ea re nulla erat dubitatio. Sequuntur verba aperte corrupta, quae in editione Avantiana ita scripta sunt: *Nec proficere pro desiderio athletarum potest quod eorum quae postea iselastica non lege constitui quam qui ierant accipere desierunt.* Non recte fecit Orellius quod, quum reliqua attingere nollet, pro scriptura editionis principis *quod* ex Beroaldi coniectura *quid* reposuit. Reliquorum interpolationes vel interpolationum emendationes nihil curandae sunt. Totum autem locum ita arbitror restituendum esse: *nec proficere pro desiderio athletarum potest, quod eorum* (sc. certaminum), *quae postea iselastica non esse constitui quam vicerant, accipere desierunt* (sc. obsonia). Sententia horum verborum eadem est quam continent Plinii verba, *aiunt enim congruens esse, sicut non dentur* (obsonia) *pro his certaminibus, quae esse iselastica postquam vicerunt desierunt, ita pro iis dari, quae esse coeperunt.* Pro *lege* scripsi *esse*, quum verbum reponi necessarium, legis autem mentio ab hoc loco aliena esset. Leges enim a senatu ferebantur: quae pro sua auctoritate imperatores constituebant, edictis vel decretis complectebantur.

In M. Cornelii Frontonis ad M. Aurelium Caesarem epistolis, lib. 3 ep. 5 p. 68 ed. Romanae haec legimus M. Caesaris ad Frontonem verba: *una haec cura maxime exercet, ne quid tu tale dictus, quod tuis moribus indignum negotio invite circumstantibus reprehensibile videatur esse.* Designat hoc loco M. Aurelius eos, qui obtrectatores Frontonis, Herodis asseclae, iudicio adfuturi sint: quos antea, ep. 2 p. 64, *indignationem Frontonis maligne spectaturos* dixerat. Huic sententiae quod scriptum est *invite* non convenit: legendum est *invide*. Praeterea admonitus sum a Mauricio Hauptio, praeceptore meo dilectissimo, *indignum* iterandum esse, ut totum hunc locum legamus, *quod tuis moribus indignum, indignum negotio, invide circumstantibus reprehensibile videatur esse.*

3. 7 p. 69. *Quam tu quiescis et quod commodum valetudini sit facis,*

tum me recreas. Et libenter et otiose age. Sentio ergo recte fecisti, quod brachio curando operam dedisti. Misere dissolutam orationem Ludovicus Schopenius in emendat. Fronton. part. 2 p. 7 ita restituendam putabat ut scriberetur *et clementer et otiose age. censeo ergo recte te fecisse*, neque facili mutatione, neque, ut mihi videtur ad sententiam satis accomodata. Equidem scripserim: *Quom tu quiescis et quod commodum ualetudini sit facis, tum me recreas, et libenter te otiose agere sentio. ergo recte fecisti, quod brachio curando operam dedisti.* Schopenii emendationum particula priore me uti non potuisse eo magis doleo, quo plures Frontonis locos in hac altera praeclare emendatos vidi. Sequantur haec:

Ego quoque hodie a septima in lectulo nonnihil legi: nam εἰκόνας decem ferme expediui. nona te socium et optionem mihi sumo, nam minus secunda fuit in persequendo mihi. Ubi quum legere vellem *in nona*, ut duplicarentur quae exstant literae, M. Hauptius me docuit scribendum esse *nonae*.

Fronto ad M. Aurelium 4. 1. p. 89 sq. scribit: . . . . (ut omnes) *pudore impudentiam, obsequio contumeliam, benignitate maliuolentiam commutarent.* In qua oratione quum singula quaeque verba habeant quibus opponantur, *obsequio* non respondere *contumeliam* quivis sentiet. Scribendum esse apparet *contumaciam*.

4. 3 p. 99 M. Aurelium Fronto quum reprehendisset quod in oratione ita scripsisset, *interuallis uestis aestum ut suspendi diceret*, pergit ita: *Igitur uoluntatem quidem tuam magno opere probaui laudauique quom uerbum quaerere adgressus es, indiligentiam autem quaesiti uerbi, quod esset absurda, reprehendi namque . . . suspendi aestus non potest: potest aestus per uestis interualla depelli, potest degi . . . omnia denique potius potest, quam posse suspendi: quod uerbum super nequit sustineri, non per laxamenta deduci significat.* Pro *super nequit*, prodigiosa corruptione, ut ait p. 124 d, Ang. Maius scripsit *suspendi*, molesta eius verbi repetitione. Quidni scribamus, *quod uerbum superne quid sustineri, non per laxamenta deduci significat.* Huius loci initio facile erat ad animadvertendum, *indiligentiam tamen quaesiti verbi, quod esset absurda, reprehendi*, non recte scriptum esse: emendationem invenit Mauricius Hauptius, *quod esset absurdum*.

Front. epist. ad Antoninum imp. lib. I. 2 p. 150 (chrestomath. Fronton.

ab I. C. Orellio editae p. 139 ex M. Catonis oratione quam de sumtu suo habuit haec verba refert: *ubi id utrumque perlatum est, deinde scriptum erat in oratione, „Numquam ego pecuniam neque meam neque sociorum per ambitio-„nem dilargitus sum.“ Atat noli noli scribere istud: nolunt audire. deinde recitauit, „Num quos praefectos per sociorum uestrorum oppida inposui, qui eorum „bona liberos diriperent?“ Istud quoque dele: nolunt audire. recita porro: „Numquam ego praedam neque quod de hostibus captum esset neque manubias „inter pauculos amicos meos diuisi, ut illis eriperem, qui cepissent.“ Istud quoque dele: nihil minus volunt dici, non opus est. recitato. „Numquam ego „euectionem dataui quo amici mei per symbolas pecunias magnas caperent.“ Perge istuc quoque uti cum maxime delere. „Numquam ego argentum pro uino „congiario inter apparitores et amicos meos disdidi neque eos malo publico „diuites feci.“ Enimuero usque istuc ad lignum dele.* In his verbis interrogatio, *num quos praefectos — inposui qui eorum bona liberos diriperent?* maiorem in modum simplicitati orationis atque concinnitati adversatur quam ut ita Catonem dixisse putaverim. Reliqua enim enunciata omnia et quae praecedunt et quae sequuntur negativa sunt: hoc solo placidus orationis tenor turbatur. Quare scribendum esse arbitror *numquam ego praefectos per sociorum uestrorum oppida inposui, qui eorum bona liberos diriperent.* In iis quae post scripta sunt, *perge istud quoque uti cum maxime delere,* malim *uti quam maxime,* quum sequantur verba, *enimvero usque istuc ad lignum dele.*

Front. ad M. Antoninum 2. 5 p. 161 (142 Or.) *praeterea si quid eleganti aut uerbo notabili dictum uideretur excerpsi.* Merito haec verba Orellium offenderunt, emendatio tamen parum ei cessisse videtur. Neque enim per transpositionem verborum apud Frontonem emendari posse concesserim, ut legatur *eleganti verbo aut notabili* neque *eleganter* a Frontone scriptum esse puto. Malim comparativum, *si quid elegantius aut verbo notabili dictum videretur, excerpsi.* In fine huius epistolae, *omnes autem Ciceronis epistulas legendas censeo, mea sententia uel magis omnes eius orationes. epistulis Ciceronis nihil est perfectius.* Maius perversa interpunctione *censeo mea sententia,* scripserat.

Front. ad Verum 13 p. 197 (156 Berol.) *neque tanto opere gauderem, si cum ad te uenissem summo cum honore ad te appellatus essem, quam nunc gaudeo tanto me iurgio desideratum.* Scribe *a te appellatus essem* collatis

sequentibus verbis, *namque tu pro tua singulari humanitate omnes nostri ordinis uiros ubi praesto adsunt honorifice adfaris, non omnes magno opere requiris absentes.*

In epist. de nepote amisso p. 220 (150 B.), *Sapiet mea filia: uiro suo omnium quantum est hominum optimo adquiescet*, malim, ut de persona, *in uiro suo — adquiescet.* Paulo post scriptum est: *neque ulla poetarum carmina aut sapientium praecepta tantum promouerint ad luctum filiae meae sedandum et dolorem leniendum, quantum mariti uox e carissimo pectore et iunctissimo profecta.* Quod A. Maius scripsit, *uox e carissimo pectore et iunctissimo profecta*, non est in codice, sed *uxore carissimo et pectore iunctissimo profecta.* Neque hoc loco transpositionem verborum recte se habere vel ideo suspicari editores poterant, quod simul aliquot literae abiiciendae erant. Scribendum est potius, *quantum mariti uox ex ore carissimo et pectore iunctissimo profecta.*

Epist. ad M. Caesarem de eloquentia p. 227 (77) *Quin tu potius illud corrigis ac moderis, ne placeas tibi, non ut id, propter quod places, repudies: nam ut nunc facis, alibi tu medicamenta obligas.* Non obligari medicamenta recte ab Heindorfio animadversum est, quod coniecit autem scribendum esse *obliuis* ne speciem quidem probabilitatis habet. Equidem legerim, *alibi tu medicamenta applicas.*

p. 232 (90) *ut olim Crassus tristis risum oderat, ut nostra hic memoria Crassus lucem fugitauit, ut nostra itidem memoria uir consularis campos formidabat, Pontianus cam*(pum . . . . clausa lecticula praeteruehebatur. .). Vera et quam concinnitas orationis postulat scriptura, ut saepius apud Frontonem, in margine servata est, ubi illa sententia repetitur, *alter Crassus minor lucem fugitauit.* Scribendum est igitur *fugitabat.*

Epist. ad M. Antoninum de orationibus p. 240 (124 B.) *Quid vero si prandium idem utrique apponatur: at positas oleas alter digitis prendat, ad os adferat, ut manducandi ius fasque est ita dentibus subiciat, alter autem oleas suas in altum iaciat* sqq. Malim equidem *appositas oleas.*

p. 241 (124 B.) *Ut histriones, quom palleolatim saltant, caudam cycni capillum Ueneris Furiae flagellum eodem pallio demonstrant, ita isti unam eandemque sententiam multimodis faciunt uentilant commutant conuertunt.*

Valde dubito num omnino dici possit *facere multiquodis sententiam*: quod etiamsi dicatur recte, huic tamen loco parum convenit. Omnia enim quae Fronto coniungit verba mutationis notionem continent, praeter unum faciendi vocabulum: quod ubi scribimus *iaciunt* et sententia concinna est et transitus facilior ad ventilandi imaginem.

p. 244 (120) inter leges oratori observandas Fronto hanc quoque ponit, *ne frustra neue temere uerborum strues aceruentur, sed ut certo ac sollerti termino uniantur*. Uniendi verbo Frontonem usum esse non existimo: neque enim vetus aliquod, deinde obsoletum, vocabulum est, sed fictum a philosophis, ab ipso fortasse Seneca quaest. nat. 2. 2 ext., *expedire me poteram si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora*. Post Senecam aliquoties id vocabulum legitur, neque tamen in aliis praeter participium formis, quod negligendum non est. Tempora eius verbi passiva patres demum ecclesiae in suum sermonem receperunt: activum autem genus nunquam in usu fuisse videtur. Exempla A. Forcellini lexicon suppeditavit. Apud Frontonem scribendum esse puto *finiantur*, collatis insuper proximis verbis, *post illa omnia inuestigata geminata distincta finita cognita* sqq.

Paulo post haec leguntur: *Hic illud etiam, ut ego arbitror, scite a nobis conuentum, quibus rationibus uerba quaerantur, ut non hiantes oscitantesque expectemus, quando uerba ultro in linguam quasi Palladium de caelo depluat, sed ut regiones uerborum et saltus nouerimus, ut, ubi quaesitis opus sit, per uiam potius ad uestigandum quam inuio progrediamur. certa igitur loca sunt a uobis* ... In his verbis *conuentum* ferri non posse Heindorfius vidit, coniecit autem quod minime verum videtur, *commentandum*. Equidem scribendum esse suspicor *commentum*: quod an verum sit probare non possum, quoniam initium et finis huius capitis desunt. Videtur tamen mihi Fronto de aliquo libello suo dicere, quo de verborum delectu accuratius expositum fuerit: quare etiam scribi velim, *certa igitur loca sunt a nobis demonstrata*. Neque enim ad utrumque fratrem haec scribit, sed ad unum M. Caesarem.

Emendationum delectus.

Scripsit

Georgius Bezzenberger.

Primum negotiis mihi obruto, deinde domesticis calamitatibus oppresso cum ad hanc scriptionem vix paucorum dierum spatium concessum fuerit, enixe rogo eos, qui legere non dedignabuntur, ut cum alia benigne excusent, tum si quid attulerim quod minus novum esse videatur, id ne putent alia causa, quam brevitate temporis admissum esse.

Tac. Ann. I. 8. Tum consultatum de honoribus, ex quis qui maxime insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, Lucius Arruntius censuere.

Ann. I. 9. Multa Antonio, iuncti ut interfectores patris ulciscerentur, multa Lepido concessisse.

Ann. I. 19. Aggerabatur nihilo minus caespes, iamque pectori eius usque accreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omisere.

Blaesus caespite se obrui passurus potius, quam ut fidem exueret, et Caecinae illius similis, qui in limine portae se proiecit, ut militibus, nisi retineri quirent, per corpus legati eundum esset, eo ipso loco constitit, ubi caespes aggerabatur. Qui cum iam pectori mortem imminentem non paventis usque accrevisset, pervicacia insigni victi milites inceptum omisere.

Ann. I. 21. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam, cuius quisque manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes.

Ann. I. 28. Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit, nam luna claro plane caelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, cassis laboribus defectionem sideris assimulans, prospereque cessura quae pepigerint, si fulgor et claritudo deae redderetur.

Ann. I. 42. Nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Suriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum esset. Nunc prima et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta egregiam duci vestro gratiam refertis.

Cf. Ann. II. 71. De permutatione vocabulorum *nunc* et *ne* v. Drakenb. ad Liv. VI. 37.

Ann. I. 44. Censuram centurionum inde egit.

Ann. I. 55. Segestes, quanquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat — gener invisus inimici soceri; quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.

Liceat ab hoc loco emendationes quaslibet iusta explicatione arcere. Genitivos esse *inimici soceri* iam pridem alii intellexerant; quo sensu verba *gener invisus inimici soceri* posita essent, nondum quisquam vidit. Quanquam Waltherum ipsum non fugit ad recte ea intelligenda cum maxime postrema illa facere *quaeque apud concordes vincula caritatis*, *incitamenta irarum apud infensos erant*. E duobus igitur vocabulis *invisus* et *inimicus* gravius illud est, unde hoc dici apparet, quod Arminius filiam Segestis rapuisset, generum invisum factum esse socero, quem inimicum iam antea habuisset. Itaque in eo erratum est, quod *invisus* et *inimicus* eiusdem temporis esse putaverunt.

Ann. I. 58. Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem, annua aera in provincia pollicetur.

Ann. I. 59. Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hoc unum Germanos nunquam satis excusaturos quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint.

Ann. I. 61. Incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. Inde proxima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant.

Ann. I. 65. Irrumpere Germanos iubet clamitans „en Varus et eodem denique iterum fato vinctae legiones."

Retinuit Waltherus *que* particulae *quoque* vim usurpare ratus. Sed quemvis illo certatim assentientes viros doctos habuerit, exempla certa desidero. Ne *hodieque* quidem, quippe ex hodiece, hoce die ortum, quod Graeco *νυνμενὶ* haud absurde comparaveris, pro argumento esse poterit.

Ann. II. 11. Chariovalda diu sustentata hostium saevitia hortatus suos ut ingruentes catervas globo perfringerent, atque ipse in densissimos irrumpens congestis telis et suffosso equo labitur.

Ann. II. 33. Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis ordinibus dignationibus antistent, ita iis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.

Sint post vocabulum *natura*, *quia* post particulam *sed* intelligenda.

Ann. II. 43. Et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectans.

Ann. II. 77. Si quid hostile ingruat, quem iustius arma eo oppositurum, qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit?

Ann. III. 3. Facilius crediderim Tiberio et Augustae, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

Tacitus si *Tiberio et Augusta* scripsit, quae est Fickerti ad Sen. de Clem. I. 24. opinio, non omisit *a* praepositionem, sed longe aliud secutus est ac plerumque putatur, non vetitam Antoniam esse in publicum prodire, sed commodam erga Tiberium et Augustam, qui domo non excederent, sponte egressu abstinuisse, ut par maeror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur. Quemadmodum igitur hoc loco ablativum causae agnoscere cogeremur, ita Agr. 40. *uno aut altero amicorum comitatus* manifestum est ablativum instrumenti esse; neque quidquam causae sit, cur quis eundem Fickertum secutus *a* praepositionem omissam esse statuat, cf. Ann. XV. 4. *repentinis hostibus circumventi.* Tertio quem ille attulit loco Hist. IV. 26. certum est scribendum esse *ductus Voculae exercitus*, et quidem non propter deteriorum codicum sane levissimam aut nullam auctoritatem, sed necessitate. Accedit quod depravatio sequente littera *e* proclivis fuit.

Ann. III. 11. Post quae reo Lucium Arruntium, Titum Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sextum Pompeium patronos petenti, iisque diversa excusantibus, Marcus Lepidus et Lucius Piso et Livineius Regulus affuere arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo, satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Ac premere, etsi haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.

Ann. III. 16. Caesar flexo in maestitiam ore suam invidiam, ut tali morte, queritur apud senatum, crebrisque interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleroque sapienter, quodam inconsultius respondente recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos.

Post *invidiam* intelligendum *esse.*

Ann. III. 24. Exsilium sibi demonstrari intellexit, nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est Marci Silani fratris fretus potentia.

Ann. III. 26. Maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensium, quas quaesitiores iam et plures Solo perscripsit.

Ann. III. 35. Respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem asseveratione, et consensu adulantium haud situs est.

Ann. III. 43. Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, ut nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, et eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret.

Ann. III. 55. Verum haec nobis maiores: certamina ex honesto maneant.

Si locus incorruptus sit, quo mea sententia magis quam ad aliorum audacias inclinat, expediendi vel simile verbum post *maiores* intelligendum est.

Ann. III. 61. Primi omnium Ephesii adiere memorantes non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem in Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygium, ubi Latonam partu gravidam ei oleae, quae tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina.

Ann. III. 62. Exin Cyprii tribus de delubris.

Ann. III. 63. Factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aerea sacrandam ad memoriam.

Ann. III. 66. Iunio Othoni litterarum ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis praepolluebat.

Ann. IV. 14. Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, auctoritate patrum ut coercendum sit.

Ann. IV. 26. Sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae non nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat.

Ann. IV. 28. Iisdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox reus pater, accusator filius (nomen aeque utrique Vibius Serenus) in senatum inducti sunt, ab exsilio retractus ille illuvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus perorante filio, praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu. Is structas principi insidias etc.

Ferri tamen quodammodo potest *praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu structas principi insidias — dicebat.* Cum modo scripsi *nomen aeque utrique Vibius Serenus*

forte in mentem venit Cic. de Off. II. 8. ubi quod ipse conieceram *eaque aeque utrinque est propemodum comparanda* nuper a Stürenburgio primo receptum est. Sed quoniam in Ciceronem incidi, libet quibusdam eius locis si forte sanandis oblectare animum.

Cat. 18. Ut enim non omne vinum, sic non omnis aetas matura vetustate coacescit.

Non opus esse puto ut quid aetas matura sit pluribus exponatur.

Legg. I. 2. Annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse incultius.

Brut. 40. Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas audiebam saepe ex C. Rutilio, quo utebatur perfamiliariter Scaevola, ut nosti, tamen ista mihi eius dicendi tanta laus nota non erat.

Brut. 58. O generosam, inquit, stirpem, et tanquam in unam arborem, sic in istam domum multorum insitam atque conglutinatam sapientiam.

Rosc. Am. 5. Omnes hanc quaestionem te praetore, manifestis maleficiis quotidianoque sanguine demissi, iustam sperant futuram.

Sest. 51. Posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum pergulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio litterarum se subito dedidit. Nihil satietatem iuvabant anagnostae; libelli etiam pro vino saepe oppignerabantur.

Sest. 69. Ego pulsus aris, focis, diis, penatibus, distractus a meis carui patria, quam, ut levissime dicam, iacentem erexeram.

A Cicerone ad alios scriptores devertam emendationes quasdam meas propositurus:

Liv. III. 11. Sed virium ope et manu obtinendum erat quod intenderes.

III. 52. Admoniturum sacrum montem constantiae plebis, sciturosque qua nisi restituta potestate redigi in concordiam res nequeant.

XXII. 12. Sed punctum abhorrens appellatio eorum nominum pro Casino Casilinum dux ut intelligeret fecit.

XXII. 36. Nam et Romae in Aventino et Ariciae nuntiatum erat sub idem tempus lapidibus pluvisse; et multo cruore signa in Sabinis, Cediis aquas e fonte calidas manasse.

XXII. 49. Mallem, quam vinctos mihi traderet.

XXIV. 22. Servitii acerbitudines indignitatesque homines expertos, adversus notum malum irritatos esse.

Sall. Cat. 53. Ac sicuti effetae partuum multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit.

Jug. 114. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Caepione et Cn. Manlio male pugnatum, quo metu Italia omnis contremuerat. Illicet inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certare.

Quint. XII. 10, 62. Hic iram, hic misericordiam inspirabit: hic cum dicet, iudex et applaudet et flebit, et per omnes affectus tractus huc atque illuc sequetur.

Hor. Od. 1, 29. sqq.

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumque leves cum satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias

Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton,
Quod si me lyricis vatibus inseret,
Sublimi feriam sidera vertice.

De duobus primis huius carminis versibus, si nihil est, cur duo postremi damnentur, dubito an Godofredo Hermanno, viro summo, assentiendum sit. Vocabulum quodsi, quod Orellius raro a poetis usurpari dicit, si emendatio trium qui proxime sequuntur locorum prospere cessit, ne toties quidem apud eos reperitur, quoties viro doctissimo visum est.

Od. I. 24, 13. sqq.

Quid? si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini etc.

Od. III. 1, 37. sqq.

. . . sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura,

Qua si dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?

Epod. XIV. 9. sqq.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonte Teïum,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser, do quo non pulchrior ignis
Accendit obsessum Ilion.
Gaude sorte tua; me libertina neque uno
Contenta Phryne macerat.

Do, lectio codicis antiquissimi Bernensis, concedendi potestatem h. l. habet.

Od. I. 32, 15.

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen mihi, cuique salve
Rite vocanti.

Od. I. 37, 21. sqq.

. . . quae generosius
Perire quaerens nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita trepidavit oras.

Accusativus solus, non addita praepositione, quem apud Horatium offendat?

Od. II. 12, 9. sqq.

. . . Tute pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas melius, ductaque per vias
Regum colla minacium;

Me dulces dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus etc.

Od. II. 15, 5. sqq.

. . . Tum violaria et
Myrtus et omnis copia inanium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priorem.

Priorem i. q. potiorem. Homoeoteleuti exempla apud Horatium haud rara. Cf. Od. I. 24, 5. sq.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget! cui Pudor et Iustitiae soror etc.

Od. III. 14, 10. sqq.

. . . Vos, o puerum, et puellae
Jam virum expertes male, inominatis
Parcite verbis.

Pueri excusari quidem possit. Uterque genitivus *puerum* sive *pueri* et *virum* ex vocabulo expertes aptus est. *Puellae* vocativum esse nihil est quod moneam. Ergo matres filiis, uxores maritis orbatae admonentur, ut infaustis verbis parcant.

Od. IV. 2, 1. sqq.

Pindarum quisquis studet aemulari
Ne ille ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

Od. IV. 2, 49. sqq.

Tumque, dum procedit, io Triumphe
Non semel dicemus; io Triumphe
Civitas omnis: dabimusque divis
Thura benignis.

Od. IV. 7, 19. sq.

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.

Od. IV. 8, 13. sqq.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae
Eius, qui domita nomen ab Africa

Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes quam Calabrae Pierides: neque
Si chartae sileant quod bene feceris
Mercedem tuleris etc.

Laudes non celeres fugae i. q. laudes immortales. Minus placet *non celeris fugae*, quod qui praeferret cum pronomine *eius* coniungere deberet.

Iuv. XII. 30. sqq.

Cum plenus fluctu medius foret alveus et iam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arbitrio incerto, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem etc.

Sed satis de aliis scriptoribus; ad Tacitum revertar.

Ann. IV. 33. Nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitii causas coniungimus.

Ann. IV. 41. et minui sibi invidiam adempta salutantium turba, sublatisque inanibus vera potentia vigere.

Ann. IV. 45. Sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur; quippe pecunias e publico interceptas acrius quam ut tolerarent barbari cogebat.

Ann. IV. 46. contusis Thracum gentibus, qui (quae in?) montium editis sine cultu atque eo ferocius agitabant.

Ann. IV. 52. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum; se imaginem veram, caelesti sanguine ortam, intelligere discrimen, suscipere sordes.

Ann. IV. 53. neque aliud probis quam ex matrimonio solatium esse in viduitate: Germanici coniugem ac liberos recipere (respicere?) dignaretur.

Ann. IV. 59. Vescebantur in villa cui vocabulum speluncae, mare Amunclanum inter et Fundanos montes.

Et post litteras verbi antecedentis postremas facile omitti potuit, et similiter Tacitus loquitur Ann. VI. 33. *mare inter et extremos Albanorum montes*, aliter Hist. IV. 77. *viam inter Mosellamque flumen*.

Ann. IV. 65. qui dux gentis Etruscae cum auxilium oblatum adventavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco etc.

Ann. IV. 74. Ibi campo aut littore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec denique vetitum.

Ann. V. 4. brevibus momentis summa verti posse: quandoque e Germanicis exitium poenitentiae seris.

Ann. VI. 18. qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam, pariterque damnatus interfectusque est. Sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum etc.

Ann. VI. 19. Ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurarias aerariasque eius, quanquam publicarentur, sibimet Tiberius reposuit.

Ann. VI. 20. Quem accitum et diversis sermonibus pertentatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus est: Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium.

Ann. VI. 33. Quae postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat, datque Parthorum Ariorumque copias, mittitque qui auxilia mercede ascirent (accirent?)

Ann. VI. 40. Eo anno non aeque quod L. Aruseius . . . . morte affecti forent (quod L. Aruseius morte affecit sororem?) assuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit quod etc.

Ann. XI. 1. Praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Caesaris non extimuisse conditorem populi Romani fateri, gloriamque facinoris ultro petere.

Pronomen se post extimuisse facile inseri possit, sed ne opus quidem eo est.

Ann. XI. 4. Cum idem, inquit, de admissis Poppaeae necesse sit sentiam, quod omnes, putate me idem dicere quod omnes.

Ann. XI. 6. Quodsi in nullius mercedem negotia fiant, pauciora fore.

Ann. XI. 8. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, iussu Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit etc.

Ibid. Nam initia inter Gotarzes pleraque saeva, quin necem fratri Arta-

bano coniugique ac filio eius praeparaverat, (properaverat?) unde metus eius in ceteros et accivere Vardanen.

Ann. XI. 18. Inferiorem Germaniam incursavere duce Gannasco, qui natione Canninefas, exsul aere diu meritus, post transfuga, levibus navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat etc.

Ann. XI. 20. Ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur.

Ann. XI. 23. Quid? si memoria eorum oreretur (inoreretur?) qui (in?) Capitolio et arce Romana manibus eorundem, per se satis . fruerentur sane vocabulo civitatis, insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.

Ex praegresso obsidendi verbo passivum adsumi debet quo plena sit sententia verborum *qui Capitolio et arce Romana manibus eorundem*. Similia apud utriusque sermonis scriptores facile est reperire. Sensum hunc esse puta, unam Capitolii et arcis Romanae obsidionem satis esse ad defendendos Gallos ab senatu, et adipiscendis in urbe honoribus.

Ann. XI. 26. quippe non eo ventum, ut senectam principis opperiretur.

Ut particula finalis est, quae dicitur, i. e. consilium indicat. Dicit Silius hoc, non eo consilio tanta se ausum esse, ut senectam principis exspectans interim imperium detineri pateretur. Cf. Ann. XVI. 9. *et senectus eius expectabatur* i. e. exspectabatur ut mortem obiret.

Ann. XI. 28. Dum histrio cubiculum principis evulgat, ab eo dedecus quidem illatum, sed discidium procul abfuisse.

Ann. XI. 33. Ac ne, dum in urbem ira efferatus vehitur, ad paenitentiam a Lucio Vitellio et Publio Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque.

Cf. Ann. XI. 26. si praevenirent Claudium ut insidiis incautum, ita irae properum.

Ann. XI. 35. Eadem constantia et Vilii (?) illustris equitis Romani, aut cupido maturae necis fuit.

Ann. XI. 37. Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira: tantum inter extrema superbiae gerebat.

Ann. XI. 38. Honesta (ista) quidem, sed ex quibus deterrima orerentur, et exitiosa multis.

Cf. Ann. III. 28. *deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio fuere*. Ann. III. 31. *quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis.*

2*

Ann. XII. 2. At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret dignum prorsus imperatoria fortuna. Stirpem nobilem et familiae Iuliae Claudiaeque posteros coniungeret, ne (neve?) femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.

Verba *stirpem nobilem* accuratius definiuntur adiunctis proxime sequentibus *familiae Iuliae Claudiaeque posteros*.

Ann. XII. 22. quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone, unde evicta Agrippina citra ultima stetit.

Ann XII. 32. Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter et pacem dubitabant, et ductus in Decangos exercitus.

Verba ductus *inde Cangos exercitus* corrupta esse censeo, quia non solet Tacitus praepositionem in eiusmodi structuris omittere. Nihil nunc quidem de gente Decangorum comperti habeo, sed de Cangis idem apud scriptores silentium est. Similis medicina alteri loco Ann. II. 88. adhiberi debebit scribendo: *Reperio apud scriptores senatusque eorundem temporum actis Gandestrii principis Chattorum lectas in Senatu litteras, quibus mortem Arminii promitteret, si patrandae neci venenum mitteretur, responsumque esse, non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* Removi simul corrupta verba *senatoresque eorundem temporum*, quae vulgo feruntur. Dixit Tacitus *apud scriptores, senatusque eorundem temporum actis* ut Ann. III. 3. *non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura. Gandestrii* nomen Iacobus Grimmius aliis causis motus nescio quo loco desideravit.

Ann. XII. 33. novissimum casum experitur sumpto ad praelium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna et suis in melius essent, cincto montibus arduis; et si qua clementer adiri poterant, in modum valli saxa praestruit.

Supervacaneum est, puto, docere *ut* consilii indicandi esse, arteque vinciri oportere verba *loco — cincto montibus arduis*.

Ann. XII. 35. praefectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus incendebant.

Ann. XII. 35. Clara ea victoria fuit, captaque uxor et filia Caractaci, fratresque in deditionem accepti.

Ann. XII. 36. sq. At non Caractacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens ubi tribunali adstitit in hunc modum locutus est; Si — neque dedignatus esses — in foedera et pacem accipere.

Probabilem coniecturam Doederlinus commendavit, quam quum ipse quoque excogitassem prae superiore sprevi.

Ann. XII. 37. Locutioni *vinculis absoluti* patrocinari fortasse poterit altera Ann. IV. 23. *Is demum annus populum Romanum — bello absolvit.*

Ann. XII. 38. Ac ni cito cunctis ex castellis proximis subventum foret copiarum obsidioni, occubuissent.

Ann. XII. 41. Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt, ut spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu.

Ann. XII. 47. Simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificum paratum dictitans.

Cf. Ann. II. 69. *sacrificalem apparatum.* Sed Hist. III. 56. *sacrificii apparatu.* Vocabulum *paratus* innumeris locis apud Tac. reperitur, ut exempla affere facile supersedere possim.

Ann. XII. 49. Erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus, ignavi animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrae iners otium oblectaret.

Cf. Dial. de Or. 10. *si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae.*

Ann. XII. 51. Ipse praeceps ad Hiberos, patrium regnum, pervadit.

Ann. XII. 54. Sane praebuerant Judaei speciem motus orta C. edicto seditione. post quum cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis principum eadem imperitaret.

Verba *Caii edicto* quo modo amissa sint apparet; simplici Caii nomine Tacitus saepe utitur.

Ann. XII. 56. lacu in ipso navale praelium adornatur, ut quondam Augustus structo Tiberim iuxta stagno, sed levibus navigiis et minore copia ediderat.

Cf. Ann. II. 41. *Tiberim iuxta in hortis quos Caesar dictator populo Romano legaverat.* Nolui quod ante cognitum Beckeri de Antt. Rom. librum excogitaveram *structo Tiberim iuxta stagno* prae invento eius Varroni quam Tacito aptiore *structo uls Tiberim* omittere.

Ann. XII. 59. Nec ille diutius falsum accusatorem, indigna sortis perpessus.

Doederlinus suspicatur *indignas sordes*, felicius fortasse et me et Doederlino Seyffertus: *indignas artes.*

Ann. XII. 63. quia vis piscium mira Pontum (mare Pontum?) erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur.

Ann. XII. 65. Ob haec mors indicta multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur, certam sibi perniciem, seu Britannicus seu Nero rerum poteretur. verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui eius impenderet. Convictam Messa-

linam et Silium si Nero imperitaret, Britannico successore illam, nullum principi meritum; at pares iterum accusandi causas esse: novercae insidiis domum omnem convelli maiore flagitio quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset.

De glossematis omnino Doederlino Praef. p. XIII. assentior, aut paucissimis aut nullis foedatos esse Taciti Annales et Historias. Alia priores, alia Doederlinus defenderunt, quibusdam ego in hoc ipso emendationum delectu obviam ivi; pars cautam manum, quae leniter admoveatur, etiamnum desiderat.

Ann. XII. 67. Adeoque cuncta mox pernotuere ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam socordiane an Claudii diurna vinolentia.

Socordiam intelligo incuriam in parando veneno admissam.

Ann. XII. 68. Vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et tomentis obtegeretur.

Ann. XII. 69. Tunc medio diei ante tertium idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro Nero egreditur.

Ann. XIII. 17. ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sororium dato, ante oculos inimici properata sit.

Ann. XIII. 26. Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe perscripsere tamen consensum senatus. Ille an auctor constitutionis fieret consuluit inter paucos et sententiae diversos, quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut plane aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum conculcarent ac verberibus manus intenderent, impune fere vel poenam dissuadentes. Quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut ducentesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Ceteras actiones promiscas et pares esse.

In levioribus rebus fortasse erravi; quae ut emendarentur plurimum intererat, ea sanata esse et ratio vincit et subsequens narratio et vero comparatio loci simillimi Ann. XIV. 49: *At consules perficere decretum senatus non ausi de consensu scripsere Caesari. Ille inter pudorem et iram cunctatus postremo rescripsit etc.* Verbis *inter paucos et sententiae diversos* adhiberi potest Ann. III. 10. *igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit, integramque causam ad senatum remittit.* Vocabulo *pauci* iidem significari videntur, quos *paucos familiarium* Tacitus loco modo allato et Ann. XVI. 18. dixit. Etiam in singulis verbis vesti-

gia codicis Florentini anxie persecutus sum. De verbo *consuluit*, cuius cum primae litterae interciderint, cf. Seyfferti Em. Tac. p. 10., reliquae in coniunctione *ut* et litteris primis praepositionis *inter*, latent cf. Ann. XVI. 24. *tum Thrasea inter proximos consultavit, tentaretne defensionem an sperneret.* At recte Madvigius, vir summus, non possumus, inquit, semper sic singulorum apicum mutatorum rationem reddere. Audacius si omnem movisse lapidem videar, ut vicesimum lapidem removerem, mutatio scilicet necessaria est; centesimi autem lapidis nulla usquam mentio, unde libertos ultra ducentesimum lapidem relegatos esse coniicio exemplo quo adulterae propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removebantur, cf. Ann. II. 50. Advocaverim etiam Cic. Sest. 12. Ratio qua Tacitus ex participio *quibusdam frementibus* ad verbum finitum ineunte cap. 27. se convertit, quae in utroque sermone creberrima est, uno saltem loco Ann. XIV. 42. comprobetur. Haec breviter atque in transcursu scripsi et subinde memor Lipsii exclamationis: *Occisus locus, ita vivam et sentiam ego. Ecce tamen vespillones aliquot, non enim medicos, ad hoc funus.* Eo libentius ad locum vexatissimum quidem, sed quem quin plane restiturus sim nihil dubito, accedo.

Ann. XIII. 41. **Adiicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra tectis ac moenibus tenus sole illustria fuere; quod intra, repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.**

Verbum *cingebatur*, quo editiones foedari solent, a cod. Flor. abest. Vocabulum *moenibus* alienum locum irrepsit, quo facto *ac tenus* in *hactenus* mutatum est; denique *intra* depravatum in *ita*. De ordine verborum *tectis ac moenibus tenus* cf. Hist. I. 33. *ianua ac limine tenus.*

Ann. XIII. 44. **Ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. Tum, ut assolet in amore et ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, et pars tenebrarum libidinose posita; et quasi (aestu) incensus nihil metuentem ferro transverberat.**

Verbum *ponere* Cicero ipse aliquoties eodem modo usurpavit.

Ann. XIII. 46. **Otho sive amore incautus laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet, ac si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. Saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris seque ire ad illam sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium.**

Quod particulam *que* pronomini *se* adnexam plerique eiecerunt, factum eo, quod genus dicendi, quale etiam Graecis commune est, vel ignoraretur, vel negligeretur. Cf. Soph. Ant. 1258. sq.

τὰ δ' ἐν δόμοις
ἔοικας ἥκειν καὶ τάχ' ὄψεσθαι κακά.

Ann. XV. 53. *tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, accurrerent trucidarentque.* Agr. 37. *quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre.* Apud Sophoclem ἥκειν, apud Tacitum *accurrerent* et *ruere* minus quidem necessaria sunt, sed sensim neque iniucunde ad ea praeparant, quorum praecipuum est momentum, ita ut particula copulativa interponatur. Nescio an in similem sensum traham quae apud Demosthenem de Chers. §. 41. leguntur: ἥξει πάντα τὰ νῦν συμβεβιασμένα καὶ καταφεύξεται πρὸς ὑμᾶς.

Ann. XIII. 46. Illum animo et cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere . at Neronem pellicere ancillam, et adsuetudine Actes devinctum nil e contubernio nisi abiectum et sordidum traxisse.

Neronem accusativus subiecti est. *Pellicere* sensu obscoeno etiam viros dici constat.

Ann. XIII. 55. Quo tantam partem campi iacere in quam pecora et armenta militum aliquando transmittantur? Servarent sane receptus gregibus, modo citra hominum famem, neu vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos.

Ann. XIII. 56. Quorum terris exacti cum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo hospites, egeni, hostes, inulti, quod iuventutis erat, caeduntur, imbellis aetas in praedam divisa est.

Cf. Hist. III. 77. neque inulti cecidere. Mützell. ad Curt. p. 131.

Ann. XIV. 4. Illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret acciretque Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia.

Verbum *accire*, per se huic loco aptissimum, etiam Ann. VI. 33. cum verbo *accipere* in cod. Flor. mutatum est, cf. Walth. ad l. c. Seyfferti Em. Tac. p. 8.

Ibid. Venientem dehinc obvius in Literna litora (nam Antio adventabat) excipit manu et complexu ducitque Baulos. Id villae nomen est quae promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur. Stabat inter alias navis ornatior: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi . ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit exstitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis an crederet ambiguam gestamine sellae Baulos pervectam.

Obvius in litora, ut vulgo legitur, falsum esse iam ex eo perspicitur, quod, si Tacitus eo illa verba sensu posuisset, quo volunt, *in litus*, neque vero *in litora* scripsisset. Nam pluralis pro singulari numero usus minime certis finibus destituitur. Cf. c. 8. *Interim vulgato Agrippinae periculo — decurrere ad litus.* Contra Ann. XV. 46. *Cumanis litoribus.* IV. 71. Apu-

iis litoribus. Deinde vix credibile est Neronem qui nihil tum omisisse putandus est, quod honori matris dari deberet, litore tenus ei obviam isse brevissimum sane spatium emensum. Cf. Ann. III. 2. 5. Omnino Romanis illa aetate quid in eiusmodi salutationibus moris fuerit, quis est quem fugiat, modo eorum meminerit quae cum ubique obvia sunt, tum in Cicerone multis fastidium crearunt? Accedit quod lectio vulgata, ut leviter dicam, absurda est. Nam quid verba sibi velint *nam Antio adventabat*? Num si Neapoli aut undecunque Agrippina adventavisset, aliud Neroni obviam ituro quam in litus iter fuisset? Denique Xiphilinus Dione Cassio auctore, memoriae prodidit Neronem πόῤῥω ἐς τὴν Καμπανίαν ἀπᾶραι. Quae cum ita sint nihil puto quod veritatem propius accedat reperiri posse eo quod conieci: *in Literna litora.* Quod *gestamine sellae Baulos pervectam* defendendum sumpsi, ideo feci, quia ea sola scriptura, quam et codicis Florentini et Xiphilini auctoritas tutatur, cum reliqua narratione congruit. Ne quis amplius haereat in loco, quo ipse magno opere exercitus sum, verbum *ducit* actionis non perfectae esse cf. Ann. XI. 9. *Foedus repente iciunt (faciunt?)*, et navis, quae inter alias ornatior stabat, in Literno litore stetisse putanda est. Ceterum non nescius sum eorum quae Suetonius refert; sed frustra laboret qui quibuscunque Tacitus et Suetonius dissentiunt conciliare et in consensum vertere velit.

Ann. XIV. 5. Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare ratem atque ita nantem subvertere. Sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus et alii contra nitentes demere facultatem lenioris in mare iactus.

Verba *ita nantem* ad *ratem* refero; sed praestat, opinor, *atque inclinatam subvertere.*

Ann. XIV. 6. Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset; observans etiam — solum insidiarum remedium esse sensit, si non intellegerentur misitque libertum Agerinum etc.

Ann. XIV. 7. Tum pavore exanimis et iam iamque adfore obtestans vindictae properam — quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca ex spe gererent. — Post Seneca hactenus promptius (promptior?) ut respiceret Burrum ac sciscitaretur an militi imperanda caedes esset.

Ann. XIV. 8. Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem: aliam fore laetae rei faciem, nunc solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia.

Ita emendaveram ante quam Seyfferti Emendationes Taciteae in manus meas venerunt, qui similem corrigendi viam ingressus est.

Ann. XIV. 12. 13. **Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel mitigata. Cunctari tamen in oppidis Campaniae, quonam modo urbem ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxius . contra deterrimus quisque — disserunt.**

Levi transpositione non solum *tamen*, quod in cod. Flor. ante vocabulum *mitigata* legitur, Tacito reddidi, sed initium capitis tertii decimi etiam tale retinui, quale in eodem codice exstat.

Ann. XIV. 14. **Vetus illi cupido (cura?) erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere, cum coenaret. Equos regere regium, et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatum laudibus celebre et deorum honori datum . enimvero cantus Apollini sacros etc.**

Vox *equos* inest in nota codicis Flor. *qs*, *regere* in sequenti verbo *regium*. Sed talia, qualia qui hasce emendationes leget ipse facile reperire poterit, commemorare taedet.

Ann. XIV. 16. **Ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis aetatis vati considere simul et allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere . quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. Etiam sapientiae doctoribus tempus impartiebat post epulas, utque contraria asseverantium discordia frueretur.**

Ann. XIV. 20. **Nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse. Si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret, ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor sederet nulla cuiquam civium necessitate certandi, cetera abolitos paulatim mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus assumant,**

easque pugnas pro militia et armis meditentur? An iustitia augurii et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent?

Iustitia, quod fere idem est ac *religione*, ablativus est; genitivus *augurii* ex voce *munus* aptus; expleturos tam ad proceres quam ad decurias equitum refertur.

Ann. XIV. 21. Graecanicus amictus, quo per eos dies plerique incesserant, tum exoleverat.

Ann. XIV. 22. Nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna in villa, cui Sublaqueum nomen est etc.

Cf. Ann. IV. 59. *vescebantur in villa cui vocabulum Speluncae.* VI. 50. *in villa cui Lucius Lucullus quondam dominus.*

Ann. XIV. 25. At praesidium Elegerda, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est.

Pro codicis Flor. scriptura *legerat* prodigiosa mutatione in libris vulgaribus *regium* exstat. Quod praesidium regium quo pertineret nemo operae pretium duxit narrare. Unus Doederlinus nomen castelli suspicatus est, nisi quod castelli, cui nomen Legerat fuerit, ne ullum quidem vestigium indagari potest. Ego non dubito quin Elegerda, vel Legerda (utrumque enim, et Blegerda etiam aut Clegerda Codd. Ptolemaei ad l. V. p. 339. ed. Bas. continent) restituendum sit.

Ann. XIV. 26. Additum ei praesidium mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae. Et quo facilius novum regnum tueretur pars Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt.

Utrumque, et praesidium additum et partes Armeniae inter reges divisae, eo pertinuit ut facilius novum regnum tueretur.

Ann. XIV. 30. Stabat pro litore diversa acies densa armis virisque intercursantibus feminis. In modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis, faces praeferebant; Druidaeque circum preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent.

Nihil nisi meliore interpungendi ratione locum male laxum firmare studui.

Ann. XIV. 32. Et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant, externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae, iam Oceanum cruento

adspectu, in sicco dilabente aestu humanorum corporum effigies relictae ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur.

Accusativi cum infinitivis non intellecti supervacaneas turbas ediderant. *In sicco* restituendum esse etiam Iacobus Lubecensis vidit.

Ann. XIV. 33. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque, quod militarium, uberrimum spolianti et defendentibus intutum laeti praeda et aliorum segnes petebant.

Cod. Flor. *praesidiisque militarium*, quod qui defendere nisi sunt immemores et communis et propriae Tacito dicendi consuetudinis fuerunt. Prudentius quidem ii, qui *praesidiis militum* coniecerunt, sed tamen ut ne ipsi quidem locum emendaverint, cuius rei indicio sunt verba deinceps sequentia: *ad septuaginta milia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit*, quae ad loca cognita et quorum nomina non ignorentur spectare necesse est. Omnes difficultates emendatione mea sustulisse videor; nam neque dicendi consuetudo amplius laeditur, neque quibus locis ad septuaginta milia civium et sociorum ceciderint, ignoratur, sed Londinii et Verulamii cecidisse, quorum hoc *uberrimum spolianti et defendentibus intutum* dicitur, apparet. Denique in iram barbarorum quid magis conveniat, quam hoc ipsum, quicunque militari aetate essent, festinasse ut explerent se ultione et sanguine?

Ann. XIV. 37. Ceteri terga praebuere; sed difficile effugium, quia circumiecta vehicula saepserant abitus, et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant.

Quae ineunte capite leguntur verba, ea recte a Doederlino emendata esse eo magis persuasum habeo, quia multum meditatus idem reperi.

Ann. XIV. 38. Simul in urbem mandabat, nullum proelio finem exspectarent nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam rei publicae sinistre referebat.

Cod. Flor. *ad fortunam ipsius referebat.* Vocis *ipsius* litterae primae duae ex *r. p.* ortae, quae deinceps sequuntur in iis manifesta vestigia vocabuli huic loco aptissimi *sinistre* deprehenduntur, cuius postremae litterae verbi *referebat* primis cesserunt.

Ann. XIV. 48. Tum primum revocata ea lex exercebatur, quae haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quaesivit, ut condemnatus a senatu intercessione tribunicia morti eximeretur.

Ann. XIV. 51. Valitudo ex eo coniectabatur, quod dense tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat.

Ann. XIV. 54. Sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum prin-

ceps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. cetera in invidiam agent.

De locutione in *invidiam agere* sufficiat e multis exemplis unum aut alterum attulisse: Hist. I. 11. 83. II. 38. Sen. de Ira II. 12.

Ibid. Superest tibi robur et tot per annos visum fastigii regimen: possumus seniores amici quiete frenos ponere.

Ann. XIV. 55. Ad quae Nero sic ferme respondit: Est quod meditatae orationi tuae statim occurram: id primum tui muneris habeo, qui me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti.

Audaciam veritus nolui: *Esse quod meditatae orationi tuae statim occurram, id primum tui muneris habeo.*

Ann. XIV. 57. Sullam inopem, unde praecipuum ad audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret.

Cf. Ann. XIV. 58. *praecipuum ad pericula.* Ann. VI. 7. *praecipuos ad scelera.* Necessitas quidem emendandi non inevitabilis.

Ann. XIV. 58. vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus praesidentem, et clari atque insontes si interficerentur, praecipuum ad pericula.

Ibid. nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. Cuncta haec more famae, credentium odio augebantur.

Particula *et* ante v. *credentium* non opus est. In eodem capite quod etiam ipse reperi *effugeret segnem mortem, odium suffugium* cur ab sagacissimo viro Iacobo Lubecensi qui Taciti libros postea ediderunt accipere noluerint, magis etiam mirarer, nisi innumeris locis apud Tacitum meliora deterioribus cessisse cognovissem.

Ann. XIV. 59. Talem eum centurio trucidavit coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat. Caput interfecti relatum; cuius aspectu (ipsa principis verba referam) „credebam curtum“, inquit, „naso“; et deposito metu nuptias Poppaeae ob eiusmodi terrores illatas maturare parat Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem.

Relatum idcirco retinui, quia quamvis nec *perlatum* vituperandum esset, quod etiam c. 58. in eo quod cod. Flor. habet *prelatum* latere crediderim, haudquaquam Romanorum dicendi consuetudini contrarium est, cf. Sen. Ep. 83. *cum capita principum civitatis coenanti referrentur.* Ex multis hunc Senecae locum elegi, quo aptiorem haud novi.

De ceteris non nescius sum quam dissimilis sit mea ceterorum emendationibus, ut Walchii, quam ex eius Emendationibus Livianis Bekkerus recepit: *Quin, inquit, Nero, deposito metu nuptias Poppaeae, ob eiusmodi terrores dilatas, maturare paras, Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste agat, nomine patris et studiis populi gravem!* (Lepida sane ac festiva et prorsus Neronea.) Sed quid potuisset fieri aut, si quid codicis auctoritas valet in quo exstat *referebam cur inquit Nero*, religiosius, aut, si propriam cuiusque rei naturam indagari oportet, Neronis ingenio magis consentaneum. De quo, si vacaret, pluribus disputarem. Nunc satis sit capitis 57. admonere, ubi Sullae interfecti caput Nero tanquam praematura canitie deforme illusisse traditur. Ac distincte Dio Cassius LXII. 14. ita memoriae prodidit: *τὸν γοῦν Πλαῦτον ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσαν οἱ ἰδών, Οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν, ὥσπερ φεισάμενος ἂν αὐτοῦ εἰ τοῦτο προὐπίστατο.* Subit mirari, qui factum sit ut nemo adhuc certissimam coniecturam fecerit, quam videtur facturus esse quicunque ad hunc locum accedat. Iam in eo erat ut obliviscerer vocabuli *curtus*, quod qui opponeret mihi, eum refellere liceret locis sexcentis. Sed cf. Markl. ad Stat. S. IV. 6. 45. p. 223.

Ann. XIV. 60. destinaturque reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere perite tibiis doctus.

Ibid. His Nero, quam paenitentia flagitii, coniugem revocavit Octaviam.

In Cod. Flor. est *quaquam*. At quis est qui nesciat, saepissime *quam* pro *quanquam* et quanquam pro *quam* reperiri? Nota ista doctis indoctis.

Ann. XIV. 61. Exin laeti Capitolium scandunt, deosque tandem venerantur, effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt. Itur et in principis laudes, iamque et palatium multitudine et clamoribus complebatur repetitam venerantium, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbam disiecere.

Ibid. Quae semper odio, tum et metu atrox — provoluta genibus eius non eo loci res suas ait ut de matrimonio certet.

Ann. XV. 13. ac vis si ingrueret provisis exemplis cladis Caudinae Numantinaeque.

Ann, XV. 17. Ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquerente irritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri; ille integra utrique cuncta respondit.

Interpunctionem correxi.

Ann. XV. 35. Immissi accusatores obiicere prodigum largitionibus neque aliam spem quam in rebus novis esse . quin et ingenio nobiles habere, quos ab epistulis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta.

Ann. XV. 38. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senectute aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars mora (morans?) pars festinans, cuncta impediebant.

Ann. XV. 40. Necdum positus metus haud levius redibat: rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis etc.

Ann. XV. 44. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi; aut flamma nudi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis, urerentur; hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat.

Recte in eodem cap. Doederlinus *templum et simulacrum deae perspersum est*, nisi forte *respersum* praestat, cf. Ann. XVI. 10.

Ann. XV. 51. Ergo Epicharis plura; et omnia scelera principis orditur: neque e senatu quid manere; sed provisum quonam modo poenas eversae rei publicae daret.

Verborum *neque e senatu quid manere* hic sensus est: nihil ab senatu exspectari oportere. Primum audacius conieceram: neque scenico tuti quid manere, cf. Ann. XV. 59.

Ann. XV. 52. prompte adiuturis qui a coniuratione integri essent.

Ann. XV. 53. Tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum ut quisque audentiae (plus?) habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi partes expostulante Scevino, qui pugionem templo Salutis sive Triviae, sive ut alii tradidere Fortunae Ferentano in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum.

Videtur haec emendatio, qua nihil lenius, admonere posse ne intempestive apud Tacitum de interpretamentis cogitetur. Ne cuius loci corruptum nomen hic delitescere credamus, tanquam de eo, quis fuerit, dubitatum sit, capite prohibemur 74.

Ann. XV. 54. Postremo vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis parat libertumque eundem Milichum monet.

Ann. XV. 55. Fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen tale si se pariter indicem et testem faceret.

Ann. XV. 58. Continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere.

Ann. XV. 65. Nec referre dedecoris, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet.

Si recte memini, iam vetus haec coniectura est; nam pleraque memoriae fidem scribo. Sed necesse est, ut et hic et apud Hor. Sat. I. 1. 49. dativum in genitivum casum propter usus perpetuitatem mutandum esse usque repetatur.

Ann. XV. 71. **Novio Prisco per amicitiam Senecae et Glitio Gallo atque Antonio Pollioni infamatis magis quam convictis decreta exsilia.**

Cf. Ann. XVI. 9. *Tum senatus consulto Cassio et Silano exsilia decernuntur.* Recte quidem *arbitrium exsilii dari* Tacito dicitur, sed suspecta altera locutio, qua exsilia dari dicuntur.

Ann. XV. 73. **Sed Nero vocato senatu oratione inter patres habita edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit. etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tanquam ultro et insontes ob invidiam aut metum exstinxisset.**

Ann. XV. 74. **Tum indiscreta dona et grates deis decernuntur, propriusque honos Soli (cui est vetus aedes apud circum, in quo facinus parabatur), qui occulta coniurationis numine retexisset.**

Etiam hic glossematum insatiabilis cupido detrimentum Tacito intulit. Est enim in cod. *tum decreta dona* etc. Doederlinus a contrario errore sibi non cavens vanam operam in explicandis corruptis verbis collocavit. Quod ipse restitui, ex eo quod opponitur *proprius honos* intelligitur verum esse. Cf. Ann. I. 35. *mox indiscretis vocibus pretia vacationem — ac propriis nominibus incusans vallum etc.*

Ibid. **Quod quidem ille decernebat tanquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, quum quorundam admonitu ad omen saevi exitus verteretur: nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.**

Ann. XVI. 1. **Illusit dehinc Neroni Fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caeselli Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiae rei traxit.**

Ann. XVI. 2. **Nero non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis fossoribus, per quos nosceret an vera afferrentur, auget ultro rumorem, mittitque qui velut paratam praedam aveherent.**

Ibid. **Nec aliud per illos dies populus plus credulitate, prudentes diversa fama tulere.**

Cur voculam *plus* qui in Tacito expurgando elaboraverunt tanto opere aversati sint non succurrit. Ne longus sim, cf. Zumptii Gramm. Lat. p. 632.

Ann. XVI. 10. **cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem**

et vestes ruptas, vidua inexpleta luctu continuo, nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent.

Verbis *implexa luctu continuo* quod Doederlinus patrocinari conatus est, malam causam in se recepit; Bekkerus, vir summus, eiecto vocabulo difficiliore non malam deseruit.

Ann. XVI. 19. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et futiles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit; iniit convivia, somno indulsit, ut quanquam coacta mors fortuitae similis esset.

Ann. XVI. 20. At Minucium Thermum praetura functum Tigellini simultatibus dedit ad exitum, (exitium) quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret.

Res duplex ad hanc mutationem impulit, quod in cod. Flor. *deditum* exstat, et quod solum *dedit* parum valet. At vero quod adiunctum volo, *ad exitum*, id totum fere scriptura codicis Florentini continetur. In iis quae verbis supra excitatis praegrediuntur *proprio odio* recte Pichenam, secus Waltherum interpretatum esse, ex iis ipsis quae opponuntur, manifesto apparet.

Ann. XVI. 21. Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere cupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque iuvenalium ludicro parum ex spe tibialem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis certans a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat.

Ann. XVI. 22. Huic uni incolumitas tua sine aris, artes sine honore.

Ann. XVI. 26. Superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem intentent aut iussi.

Ann. XVI. 74. atque ille hausto veneno tarditatem eius perosus interscisis venis mortem adproperavit.

Cf. Ann. XV. 35. et cum damnatio instaret brachiorum venas Torquatus interscidit. Neque tamen acriter pro mutatione levissima pugnaverim.

Temporis summae angustiae quae scribendi libidinem, etiamsi esset in me tam immoderata, quamper est modica aut nulla, refrenassent, nisi collegarum exemplo clarissimos et amplissimos litterarum antiquarum in Germania statores et cultores, quos quidquid in hac urbe floren-

tissima non alienum est ab humanitate, comi hospitio excipere certat, salutare cuperem, ne latius vager quanquam invitum prohibent. Speciminis igitur loco ex reliquis Taciti libris, Historiarum, de Germania, de vita Agricolae, de Oratoribus, si forte is liber Taciti est, unum aut alterum locum emendandum sumam. Nam ut dicam quod sentio, multa sane libro illo de quo toties disceptatum est continentur, quae efficere ut Tacito abiudicetur videantur. Id solum ab animo meo impetrare nequeo, ut credam duos viros qui tanta altitudine ingenii praediti fuerint, Romae quasi aetate illa virtutis ac sapientiae sterili tempestate una floruisse.

Hist. I. 7. Ceterum utraque caedes sinistre accepta, et inviso semel principi seu bene seu male facta parem invidiam afferebant. Venalia cuncta, praepotentes liberti, servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes.

Hist. I. 26. Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero iduum die ebrium redeuntem a coena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent.

Hist. I. 29. Quod domus nostrae aut rei publicae fatum in vestra manu positum est.

Nondum recte explanatus est hic locus, facillimus ille, modo post *fatum* verbum *sit* intelligatur.

Hist. I. 30. Nec est plus quod pro caede principis quam quod innocentibus datur: sed perendie a nobis donativo plus ob fidem, quam ab aliis pro facinoribus accipietis.

Hist. I. 35. Tum vero non populus tantum et imperita plebs in plausus it et immodica studia.

Hist. I. 37. Septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Ioelus quam quod Polycliti et Vatinii et Egnatii rapuerunt.

Hist. I. 40. Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impetu, completis undique basilicis ac templis. Lugubria prospectu, neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures, non tumultus, non quies, quale magni metus et magnae irae silentium est.

Hist. I. 51. Caeso cum omnibus copiis Julio Vindice, ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionum feracium praemia, quam stipendia malebat.

Hist. I. 52. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipie-

bantur Vitellii: is ut apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena.

Hist. I. 89. Sub Tiberio et Caio tantum pacis adversa rei publicae periti timuere.

Hist. II. 88. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem . singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat; et effusa plebes totis se castris miscuerat . incuriosos milites vernacula ludebant urbanitate, quidam spoliavere abscisis furtim balteis, an accincti forent rogitantes.

Hist. III. 66. Quin ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores dedecoret, desperatione saltem in audaciam accingeretur.

Hist. III. 71. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, ut nitentes ac progressos depellerent.

Hist. IV. 5. Helvidius Priscus origine Iulio Carnico e municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit.

Hist. IV. 53. Dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque trimis aqua e fontibus amnibusque hausta perluere.

Hist. IV. 58. mortemque in tot malis haustum ut finem miseriarum exspecto.

Noli dubitare, quin genus loquendi Tacitinum sit. Etiam vulgares verborum indices exempla praebent idonea.

Hist. V. 3. Sic conquisitum conlectumque vulgus postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrymas torpentibus Moysen, unum exsulum, monuisse, ne quam deorum hominumve opem exspectarent, et sibimet duces caeleste crederent, primo cuius auxilio incedentes praesentis miserias pepulissent.

Hist. V. 4. ac pleraque caelestium viam suam et cursum septimos per numeros commeare.

Germ. 22. Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget . quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit . cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospiti victus et comes.

Ita scribendum esse locum, quo haud scio an nullus magis exagitatus sit, arbitror, recisis simul postremis eiusdem capitis verbis *victus inter hospites comis*, quae quoquo modo vel interpreteris vel corrigas verendum est ut Tacitus scripserit. In oratione eius ipsa cum vocabulum *victus* loco, ubi iam posui, casu excidisset, qui id indicare voluerat margini adscriptis

6 *

verbis *victus inter hospites et comes*, quibus admoneret, ut vox *victus* inter duas *hospites* et *comes* interponeretur, eius nota cum non intellecta esset, infra apposita est, leviter, ut consentaneum erat, immutata.

Agr. I. 2. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora. Intellegimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse.

Priora dedi ex cod. Dronkii B cuius codicis praestantia tanta ut eius ope innumeri in Agricola loci in melius restitui possint aut fugit illum virum doctum, aut uti ea noluit ne ceteris emendandi via intercluderetur. Verbum *intellegimus* coniectura reperi, ut spero, certa. Totus locus adhuc eo male habitus est a viris eruditione ac sagacitate praestantissimis, quod non intelligerent, cum bis Tacitus vocabulum *nunc* posuisset, ad diversa tempora id relatum voluisse. Prius enim ad omnem aetatem eam trahendum est, quam a priorum aetate distinguit, qua quasi in exsilium virtus acta esse videbatur et libertas dicendi scribendique per immanitatem dominantium exstincta erat, id quod manifestum est ex verbis *intellegimus* etc. Alterum *nunc* ad id ipsum temporis punctum spectat quo Tacitus felicitate quadam temporum restituta et voce mortalibus reddita ad conscribendam vitam soceri se accinxit. Unam praeterea rem praeterire nolo, quanquam non ita difficilem ad reperiendum, verba *venia opus fuit* eo sensu accipienda esse quo qui hodie scriberet, facile *venia opus fuisset* dicturus esset. Sed talia ne tirones quidem ignorant. Cf. tamen, ne exempla omnino desint, Ann. III. 53. *in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit.*

Agr. 6. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se amplectendo.

Cod. B *appetendo.*

Ibid. Idem praeturae secretum et silentium.

Cod. A et B *praeturae certior.* Cf. c. 22. *secretum et silentium eius non timeres.*

Ibid. ludos et inania honoris ni media luxuriae atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior.

Agr. 10. Dispecta est et Thyle, quum hactenus iussum, et hiems appetebat.

Ne ulla quidem littera nisi *a* mutata ope cod. B vexatissimum locum restitui. Sensus est, expeditione illa remotissimam insulam non in potestatem Romanorum redactam sed dispectam tantummodo esse, et quidem, quia eo consilio, neque alio classis missa esset, et hiems appetisset. Causa praecipua illa est, unde factum ut Tacitus scripserit *quum hactenus iussum* (intellige esset), *et hiems appetebat*, nec vero *quum hactenus iussum esset et hiems appeteret.* At nunc ipsum intelligo, ne minima quidem mutatione opus esse. Nam *quum hactenus iussum* i. q. *quum nihil nisi dispicere iussum erat.*

Agr. 13. Divus Claudius auctor tanti operis.

In utroque Cod. et A et B legitur *auctoritate.*

Agr. 19. ut civitates pro proximis hibernis in remota et avia deferrent.

Agr. 28. Mox ad aquam atque utilia dilapsi et cum plerisque Britannorum sua defensantium congressi ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur.

Agr. 34. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt. Novissimi haesere et extremo metu ac torpore defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.

Agr. 36. Nam Britannorum gladii complexum armorum et ni in aperto (in arto?) pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fodere (foedare?) et stratis qui in aequo obstiterant erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu connisae proximos quosque caedere, ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur: fugêre covinarii. Interim equitum turmae peditum se proelio miscuere, et quanquam recentem (recentes?) terrorem intulerant, densis tamen hostium et inaequalibus locis haerebant, minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum aegre gladio aut hasta utentes simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

Supra apodosis verbis *fugere covinarii* continetur.

Agr. 38. Et simul classis secunda tempestate ac fama truculenta portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

Adverbium unde ex sequenti vocabulo *proximo* suspensum est, quod cum non intellectum esset, difficultates, quas libenter disiicias, cupide quaesitae sunt.

Agr. 43. Nobis nihil comperti affirmare animus.

Agr. 44. Nam sicuti durare in hac beatissima saeculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, vitae: ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit.

Utrumque locum, evidenter nisi me fallit animus, emendatum, ideo coniunxi, ut sentiretur quam verendum esset, ne Wexii infelicissimum commentum, quo multo etiam infelicius Pfitznerus abuti coepit, ad irritum recideret. Verum, quamvis haud pauca habeam, quibus nitor aurei prorsus libri restitui fortasse hic illic possit, ad Dialogum de Oratoribus accedo.

Dial. de Or. 1. cum singuli diversas sed easdem vel probabiles causas afferrent.

De pron. *eadem* cf. Madvigii Gramm. Lat. §. 479. Vocabulum *vel*, cum vim addit, haudquaquam superlativo solo adiungi exempla cum aliorum scriptorum, tum Taciti confirmant.

Dial. de Or. 10. Sentio quid responderi possit hic: ingentis ex his assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri.

Cf. Sen. Ep. VII. 4, 17. Scio quid mihi responderi possit hoc loco.

Dial. de Or. 12. Nam lucrosae huius et sanguini inhiantis eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus.

Dial. de Or. 21. Nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur, si forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur.

Dial. de Or. 23. Adeo moesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem, sed infirmitate, sed ieiunio consequuntur.

Dial. de Or. 26. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens sic ut cuivis ciatur exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.

Dial. de Or. 27. At ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia. Appareat, inquit Maternus, et potius exsolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solutum ira tractare paulo ante et plane mitiorem eloquentiae temporum nostrorum minatus eras, ante quam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo. Non sum, inquit, offensus Apri disceptatione.

Dial. de Or. 31. neque enim sapientem informamus voce Stoicorum cuncta tenentem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare liberaliter debet.

Dial. de Or. 32. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum usquequaque cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.

Dial. de Or. 35. Ex iis suasoriae quidem etsi neutiquam plane leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus assignantur, quales per fidem et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem ut materiae abhorrenti a veritate abhorrens a veritate declamatio quoque adhibeatur.

Dial. de Or. 40. Iam vero conciones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a Publio quidem Scipione aut Sulla aut Gnaeo Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura populi, invidiae quoque et irrisionis artibus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant!

Iam dum cogito quid de Graecis litteris attingam, quas ut libarem saltem unus collegarum suasit, quia casu tres in Latinas litteras incidissemus neque ineptum fore duco et minus operosum, si, quam rem tum cum postremum Graecas litteras oculis meis usurpavi, quod factum est ante quam domestici illi metus mihi ingruerunt, animo meo agitavi, eam potissimum eligam, et recte de ea necne senserim publico iudicio committam. Habebam autem in manibus Sophoclis Aiacem, qua tragoedia ne fingi quidem quidquam potest omnibus numeris perfectius; in qua cum soliloquium illud evolvere coepissem, quo finito Aiax gladio se transverberat, ut certius intelligerem, num idoneum esset, quod discipulis scholae nostrae primi ordinis in examine anniversario interpretandum daretur, subito evenit ut quatuor illis versibus qui an Sophoclei essent acerrimis studiis disceptatum est, rursus detinerer. Tum quanta poteram cura meditatus opinionem meam a ceterorum iudiciis discrepare cognovi. Inde casu factum est ut allicerer fabulae eiusdem, quam nondum manibus deposueram, initio. Similis dissensus ortus est. De utroque igitur loco, de quo quid Wunderus in altera sua editione quae nondum in manus meas venit, iudicaverit, nescio, nulla mora interposita disputabo ordinem Sophocleum secuturus, ita ut primum de v. 14. sqq. tum de v. 826. sqq. agam, et quidem paucissimis.

Soph. Ai. v. 14. sqq.

ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς ὅμως,
φώνημ' ἀκούω, καὶ ξυναρπάζω φρενὶ
χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.
καὶ νῦν ἐπέγνως εὖ μ' ἐπ' ἀνδρὶ δυσμενεῖ
βάσιν κυκλοῦντ', Αἴαντι τῷ σακεσφόρῳ.

Verba κἂν ἄποπτος ᾖς quemadmodum adhuc intellecta sunt, si ratio rei scenicae habetur, difficultatibus implicent oportet inexplicabilibus. Ex quibus nescio an nemo minus feliciter se

expedierit Gepperto in libro eo quem de theatro Graecorum conscripsit, quae de versibus supra descriptis inaudita atque invisitata finxit. Unus Scholiasta recte ἔστι μέντοι, inquit, ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἡ Ἀθηνᾶ, in iis tamen ille falsus, quae de eo somniavit, cur Sophocles φθέγμα Ἀθάνας dixisset. Tum in prioribus verborum κἂν ἄποπτος ᾖς interpretationibus quibus, quamvis de vocabulo ἄποπτος sententiae discrepent, id commune est, in quo mea quidem sententia error vertitur, illud non leviter offendit, quod cum coniunctivo ᾖς conciliari nullo pacto queunt. Quodsi eam sententiam Sophocles secutus esset, quam credunt, non κἂν cum coniunctivo, sed καὶ cum indicativo modo usurpavisset. Liceat hoc donec meliora edocear, vel adversus Hermannos et Lobeckios, at quantos viros, contendere. Denique quae ratio quive nexus inter verba καὶ νῦν et ea quae praegrediuntur intercedat nisi a superioribus interpretibus Sophoclis discedatur non intelligo. Omnia ego in aperto esse et poeta tanto digna censeo, si scribatur:

ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν, —
ὡς εὐμαθές σου κἂν ἄποπτος ᾖς ὁμῶς
φώνημ' ἀκούω, καὶ ξυναρπάζω φρενί,
χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς,
καὶ νῦν, — ἐπέγνως εὖ μ' ἐπ' ἀνδρὶ δυςμενεῖ
βάσιν κυκλοῦντ', Αἴαντι τῷ σακεσφόρῳ.

Iam κἂν ἄποπτος ᾖς et καὶ νῦν optime sibi respondent; simul intelligitur, visam Minervam esse Ulixi. Vocabulum ἄποπτος eum significat qui oculis remotus est. Ὅμως in ὁμῶς mutavi.

Soph. Ai. v. 826. sqq.

Καί σφας κακοὺς κάκιστα καὶ πανωλέθρους
ξυναρπάσειαν, ὥσπερ εἰσορῶσ' ἐμὲ
αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοσφαγεῖς
πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.

Quatuor versus, quos supra descripsi, Wunderus auctore Wesselingio nuperrime eiecit, genuinos cum alii, tum Lobeckius et Hermannus putaverunt, et qui novissime, quod sciam, de iis scripsit, Stallbaumius. Qui quidem eleganter, ut solet, docteque contra Wunderum disputavit, sed tamen ita, ut vim argumentorum, quibus ille sententiam suam ornavit, non penitus sensisse videatur. Nam Wunderus cum multa praeclare scripserit, tum hoc loco videtur ostendere voluisse quid ingenii acumine et doctrina efficere posset. Cui hoc primum adversatur, quod aegre tibi persuadeas, imprecationem illam et futurorum casuum praedictionem, cuius eximia et plane divina vis est, a grammatico aliquo potius, quam ab Sophocle profectam esse. Nihilo minus ponderi argumentorum, cum aut cuncta idonea erunt, aut unum duntaxat, quanquam inviti cedere et contempto Sophocle nescio quem grammaticum laudibus extollere debebimus. Singula igitur ea sed breviter strictimque examinabo. Scholiastae fides — nam eius auxilium primum advocatur — non solum ambigua est eo, quod quo verba eius pertineant certari licet, sed frangitur etiam Suidae, Eustathii, codicum auctoritate, praesertim cum qui factum

sit ut versus illi in suspicionem olim adducerentur, nullo negotio demonstrai queat. Alteri Wunderi argumento, quod eo continetur, ut dicat, non potuisse Ulixem silentio ransmitti, nihil est, quod iure opponatur. Neque tertium refelli poterit, quo recte poscitur, siquid poetis tragicis praedicatur, ut id ne vanum irritumque sit, quod, si versus illi quatuor retineantur, Sophoclem fecisse. Verum enimvero quod Wunderus ait vacuum Aiacem ne vehementer commotum, id quod Godofredo Hermanno, philologorum principi, creditum est ad mortem se praeparare, in eo prorsus me assentientem habet, qui si alium Aiacem mihi fingam, totam fabulam quasi labantem atque corruentem mihi videre videar. Quartum argumentum, quod ad vocem πανώλεθρος pertinet, non satis illud ab Stallbaumio refutatum est, ut qui exempla non attulerit. Quintum contra verbum ξυναρπάζειν pugnat, quod non surpetur nisi corripiendi potestate. Huic argumento, quia nihil obstat quo minus ξυναρπάζειν suam, i. e. corripiendi potestatem retineat, haud multum tribuerim. Sextum a voce αὐτοραγής repetitum est, quam hic quidem in diversam significationem trahi nequivisse. Ne hoc quidem scio quid aut verius aut planius dici possit. At de forma φίλιστοι ardore abreptus contendit Wunderus, quae vix tueri possit, et Stallbaumius iam redarguit. Etiam mutatio subiecti aut duplex apodosis cur nimis urgeatur non dispicio. Contra iis rursus refragari non audeo, quibus tertia persona ξυναρπάσειαν impugnatur. Itaque eo res videtur adducta esse, ut nisi leniore medicina succurratur, Wesselingio et Wundero assentiendm sit. Quod ne facere cogar, quia religioni duco Sophoclis, poetae praestantissimi, laudius quidquam detrahere, germanum quidem sed corruptum locum putans ita scripserim:

> Καὶ σφᾶς κακοὺς κάκιστα, καὶ πανωλέθρους
> ξυναρπάσαιτ', ἵν' ὥσπερ εἰσορῶσ' ἐμὲ
> αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοὶ σφαγαῖς
> πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων τ' ὀλοίατο.

Σφᾶς mutato accentu scripsi, quia Atridae, maxime Agamemno (κακοὶ) et Ulixes (πανώλεθροι) distinguuntur. Ii ut facilius distinguantur, egregie verborum ordo efficit. Quem infenso atque implacabili odio persequitur, Ulixem, eum Aiax graviore et iracundiam spiranti vocabulo appellat, leniore paulo Agamemnonem et Menelaum. Pluralem numerum πανωλέθρους nolim in singularem πανώλεθρον mutare. Dein restitui verbi secundam personam et idem duplicem apodosin removi, quae Wundero etiam magis quam mihimet ipsi displicuit. Verbum εἰσορῶσι ad Atridas refero, quia non intelligo cur dici ii non possint Aiacem sua ipsius manu occumbentem videre. Ceterum εἰσορῶσ', si quis in eo acquiescere nollet, facile in εἰσορᾶτ' mutari posset. E mutatione subiecti nullae amplius angustiae. Αὐτοσφαγεῖς nisi licuisset ita mutare, ut nec legibus artis rhetoricae obrogaretur, et sententia ipsa staret, per se satis impedivisset, quo minus germani et ab Sophocle profecti versus quatuor existimarentur. Ultima non recte intelligentur, nisi videris, ut singula fere verba non obscurentur negligenter, sed exprimantur accurate et distincte. Quod si feceris, senties, ut spero, quam apte Aiax suam mortem, tristem illam qui-

dem, sed sponte sumptam, cum Ulixis et Atridarum saevo et abominando exitio contendat. Vocabulum φίλιστα cur Sophocles adsciverit, videtur esse quo expediatur. Nempe Graecum fuit, quidquid Wundrus obloquatur. Iam cum vis sententiae, ne frangeretur aut debilitaretur, uno versu includenda esset, quia alia verba ut frigidiora sperni oportebat, et usitata forma τὰ φίλτατα refragabatur, rarior ac tamen illicita posita est. Τε particulam libris debeo. Denique ridiculus sim, si τὰ φίλιστα ad Agamemnonis uxorem, ἐκγόνων ad Ulixis filium spectare doceam.

Antequam scribendi finem faciam etiam atque etiam rogo, ut errores, quos ipse scio in tanta festinatione haud paucos admissos esse, eo excusentur, quod tali occasione nihil quam non scribere maluerim.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE HIBERNUM

A DIE INDE XVI. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLV

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVI

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEFATUS EST GEORGIUS CURTIUS DE QUIBUSDAM ANTIGONAE SOPHOCLEAE LOCIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Quamquam praestantissimi viri de Sophoclis fabulis restituendis enarrandisque tam bene meriti sunt, ut multo magis quam qui priori saeculo vixerunt jam delectari possimus summi poetae pulchritudine, tamen ne in ea quidem tragoedia, quae praeter ceteros viros doctissimos interpretem nacta est Augustum Boeckhium, omnia eo perducta esse videntur, ut nulla vel scribendi vel explicandi difficultas remaneat. Itaque cum mihi Antigonam adolescentibus antiquarum litterarum studiosis modo in Pragensi, nunc vero in hac nostra universitate interpretanti quidam loci aut emendari aut rectius explicari posse viderentur, oblata hac commentandi occasione sic uti constitui, ut ego quoque ad eam fabulam, qua nulla antiquarum nostri aevi hominibus magis in deliciis est, illustrandam aliquantulum contribuerem.

Initium faciam a versu multum tractato 130. Is in codice Laurentiano primo (La) — Dindorfio teste — sic legitur

ὑπερόπτας
χρυσοῦ καναχῆς ὑπεροπτίας

in quo quod supra lineam scriptum est invenitur etiam in Parisiensi a. Neque tamen de uno vocabulo postremo dubitatur, eum quoque qui praecedit genetivum difficillimum explicatu esse, minime fugit editores. καναχῆς enim si Hermanno duce cum praecedenti πολλῷ ῥεύματι conjungimus, minime placet duarum rerum inter se diversarum, fluminis ac strepitus, confusio, et nescio, an flumen auri strepitus a nullo poeta dici potuerit; sin Boeckhium sequimur, qui ὑπεροπτείας lectione recepta hunc genetivum a ῥεύματι, ab hoc rursus χρυσοῦ καναχῆς pendere existumat — „*im Strome des Uebermuthes des Goldgeräusches*“ — etiam haec interpretatio parum simplex videtur. Immo Dindorfius et Schneidewinus viderunt pro genetivo requiri dativum, eamque ob causam id quod est in libris manuscriptis et in scholiis καναχῆ in καναχῇ θ' mutarunt. Verum neque ille dativus, quocum Schneidewinus καναχῇ particula τέ connexum esse putat, πολλῷ ῥεύματι, separari potest ab eo quod proxime sequitur participio προσνισσομένους, neque omnino ista particula ad hunc locum accommodata est. Res igitur eo

deducta esse videtur, ut dativum quidem aliquem in hunc locum quadrare, *καναχῇ* autem cum particula copulativa conjunctum minus aptum esse dicamus. Quaerentibus autem aliam dativi formam ultro se offert epica *καναχῆς*, ab eo quod nostro in versu codices manuscripti exhibent fere non diversa. Hac recepta sententia sane efficitur optima; sed de ipsa forma nova oritur dubitatio. Ea enim cum a quibusdam ne Homero quidem concessa sit, quaeritur, num apud Sophoclem ferri possit. Ac concedendum est similem formam apud tragicos poetas non inveniri. Sed multa inveniuntur in lyricis praesertim tragoediarum partibus singularia, et non a vulgato tantum sermone sed etiam a frequentiori Atticorum poetarum usu abhorrentia, in his pleraque ex communi totius poesis fonte Homerico derivata. Sic in nostra fabula habemus v. 345 epicum *εἰναλία*, v. 846 aeolicum simul et epicum *ὔμμ'*, quo praeterea Sophocles abstinuit, v. 848 doricum *ποταίνιος*, v. 969 *ἰδὲ* epicum, quod Hermannus defendit, v. 1035 *ὑπαί*, v. 1241 *εἰν*, de quo idem Hermannus disseruit. De aliis quae similia sunt post dicetur. Nihilo minus Ellendtius ne *ῃσι* quidem terminationem, quam saepe codices, interdum scholiastae praebent, Sophocli concedendam duxit (Lex. Soph. II, p. V sqq.). Mihi vero finibus justo artioribus vir diligentissimus inclusisse videtur artem tragicorum, quos ab usu populari discedentes in formis verborum recipiendis magis quid Atticorum aures ferre possent et quid cujusque loci colori conveniret, spectasse, quam legem quandam sibi stricte observandam imposuisse existimaverim. Quare v. 589 id quod scholiorum Laurentianorum auctoritate commendatur *Θρῄσσῃσι* genuinum habeo, cujus cum primae syllabae diphthongus ionica neminem offenderit, potest in secunda eadem tolerari. Quodsi *ῃσι* conceditur poetae, quidni idem Homericum *ᾗς ὑπεροπλίῃσι*, *πέτρῃς πρὸς μεγάλῃσιν* imitatus usum simul et formam dativi ex epico dicendi genere mutuatus sit? Usus enim dativi hoc loco similis est notissimis illis exemplis Homericis *ποδωκείῃσι*, *πολυϊδρείῃσι*, quae a Naegelsbachio quondam tractata sunt; nunc collecta habes in Krügeri grammaticae vol. II, 2, p. 153. — Jam vero de sequenti *ὑπεροπτίας* videndum est. Ita enim et prima manu in La. scriptum exstat et apud scholiastam, eaque lectio responsione versus 113

αἰετὸς ἐς γᾶν ὡς ὑπερέπτα

dimetrum anapaesticum acatalectum efficientis confirmatur. Varia autem interpretum conamina enumerare longum est. Constat a veteribus nomen illud accusativum pluralis generis masculini habitum esse, ac fortasse defendi poterit *ὁ ὑπεροπτίας* eorum, quae a Lobeckio (Patholog. Proleg. p. 491) congesta sunt exemplorum ope. Nam cum hypocoristici quiddam in illa terminatione insit, quomodo *τρυφητίας* a *τρυφητής*,

ἐπιχητίας (Hesych. ἐνδεής) ab ἐπιχήτης, Κριτίας a κριτής, Φιντίας a Φίντης facta esse vir doctissimus demonstravit, eodem ad vanam illam superbiam designandam ὑπεροπτίας a magis vulgato ὑπερόπτης deductum esse crediderim, versumque sic in nostram linguam converterim: *im Goldgeklirr stolzirend.*

v. 584 οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας
οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον.

Horum verborum structuram interpretes ii non satis perspexerunt, qui dicunt, mirandum esse quod Sophocles non ἑρπούσης scripserit. Nam, si quid video, ita ne potuit quidem scribere. Verbum enim ἐλλείπει non per se positum est, neque id significat, quod Ellendtius voluit, ‚reliquum fit,' sed cum participio aptissime cohaeret: οὐδὲν ἄτας ἐλλείπει ἕρπον. Potest autem ἐλλείπειν, ubi desistendi vim habet, secundum παύεσθαι verbi analogiam vel cum infinitivo vel cum participio conjungi. Hoc loco cum participio conjunctum est ut in decreto Demosthenis orationi de corona § 92 inserto καὶ ἐν τῷ μετὰ ταῦτα αἰῶνι παντὶ οὐκ ἐλλείψει εὐχαριστῶν καὶ ποιῶν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν. Eundem usum saepius ἐλλείπεσθαι habet, velut apud Xenophontem Memorab. II, 6, 5 φιλόνεικος πρὸς τὸ μὴ ἐλλείπεσθαι εὖ ποιῶν τοὺς εὐεργετοῦντας αὐτόν. Quare sententia versus haec est: nulla pars mali in prolis multitudinem serpere desistet; quae propterea gravissima est quod duo in unum conjuncta sunt: iis nulla pars mali condonabitur et eorum vel in posteros malum serpet.

v. 765 cum Schneidewinus negaret
ὡς τοῖς θέλουσι τῶν φίλων μαίνῃ ξυνών

μαίνῃ, quod legitur in La., eo sensu dici, quem scholiasta verbo tribuat, ὡς μαίνῃ παρὰ τοῖς φίλοις τοῖς θέλουσιν ὑπομεῖναι τὴν σὴν μανίαν, immemor fuit versuum 760, 761

ὡς κατ' ὄμματ' αὐτίκα
παρόντι θνήσκῃ — πλησία τῷ νυμφίῳ.

Quibus verbis cum Creon colloquendi finem faciat, nihil aptius erat, quam Haemonis, quattuor patris versibus quattuor rursus versibus respondentis, postrema verba illis similia facere. Itaque neque ab optimi codicis fide, neque a scholiastae interpretatione discedendum erit.

Paulo diutius commemorandum erit in carmine chorico quod legitur a v. 944 usque ad v. 987. Ejus enim in stropha secunda multae restant difficultates. Libri manuscripti, ut minores discrepantias omittam, haec habent:

παρὰ δὲ Κυανέων πελαγέων πετρῶν διδύμας ἁλὸς
ἀκταὶ Βοσπόριαι ἰδ' ὁ Θρῃκῶν

Σαλμυδησσός, ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης δισσοῖσι Φινεΐδαις
εἶδεν ἀρατὸν ἕλκος,
τυφλωθὲν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος
ἀλαὸν ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις
ἀραχθὲν ἐγχέων ὑφ' αἱματηραῖς
χείρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν.

Primus horum versuum cum antistrophico duabus syllabis longior sit, aliquod vocabulum ejiciendum esse certum est. Sed quid ejiciatur quaeritur. Schneidewinus, ἁλός ad πελαγέων ab interprete adnotatum ratus, eo ipso vocabulo omisso reliqua sic constituit

παρὰ δὲ κυανεᾶν πελαγέων διδύμων πετρᾶν.

In quo parum veri simile est vocabulo πελαγέων, quod nullo omnino interpretamento eget, ἁλός a quoquam additum esse; ceterum πέτραι κυάνεαι multo magis placent quam quae vulgo leguntur κυάνεα πελάγη, alias non commemorata. Mihi quidem in mentem venit versum sic scribere

παρὰ δὲ κυανέων Πλαγκτᾶν διδύμας ἁλός

nam eaedem petrae ab Euripide dicuntur (Med. 2) κυάνεαι Συμπληγάδες et facili errore πλαγκτᾶν in πελαγέων mutari, πετρᾶν autem ex glossemate inter ipsa poetae verba devenire potuit. Sed haereo in spondeo, qui num in hoc numerorum genere pro dactylo poni possit dubito. Itaque aut majus aliquid audendum erit, aut in eo acquiescendum, quod complures, scholiastae πετρᾶν ignorantis vestigia secuti, proposuerunt

παρὰ δὲ κυανέων πελαγέων διδύμας ἁλός.

Post Θρῃκῶν vero aliquod vocabulum quod creticum efficiat omissum esse, Boeckhius demonstravit, nec habeo quod aptius proponam quam quod ipso duce Dindorfius et Schneidewinus receperunt ἄξενος. Descripta igitur inhospitali illa Salmydessi regione poeta ad ea procedit quae ibi horrenda facta sint. Haec autem non statim disertis verbis exponit sed praeparat et initio indicat tantum

ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης δισσοῖσι Φινεΐδαις
εἶδεν ἀρατὸν ἕλκος,

ubi Mars illius terrae custos vulnus duobus Phineidis exsecratum vidit. Nam quod hoc uno apud tragicos loco ἀρατός legatur, prava haud dubie lectionis mutandae causa Schneidewino fuit. Post ἕλκος autem major interpunctio ponenda erit. Jam enim quale fuerit horrendum illud vulnus accuratius nobis describitur. Neque tamen satisfacere nobis possunt verba sequentia ab interpretibus multifariam, sed quantum video

frustra adhuc versata. Nam ἕλκος τυφλωθὲν ἀλαόν, vulnus occaecatum caecum *„eine blind geblendete Wunde“* id vulnus dici quo quis in effodiendis oculis afficiatur, equidem sane mihi numquam persuadebo. Si quid igitur in hoc versu mutandum est, nulla mutatio facilior esse videtur, quam haec, ut pro τυφλωθὲν scribamus τύφλωθεν i. e. ἐτυφλώθησαν. Minime ignoro breviorem tertiae pluralis personae formam apud tragicos non inveniri nisi semel apud Euripidem in nuncii oratione Hippol. v. 1236 ἤρυφθεν. Sed vidimus multa Sophoclem singularia ex epico genere mutuatum esse. Et prae ceteris hoc ipsum carmen repletum est formis in tragoedia minime usitatis. Iterativis ταμιεύεσκε (v. 950), παύεσκε (964) pauca tantum apud Aeschylum similia exstant, ἰδ' v. 969 Hermannus ab Atticis poetis alienum esse dicit, de χείρεσσι v. 976 (cf. 1297), quod est apud tragicos rarissimum, Ellendtius in lexico dixit, versu 977 κατὰ δὲ τακόμενοι tmesis invenitur, quam iidem raro admittunt (Matthiae II, p. 1399). Accedunt v. 945 δέμας, v. 955 ζεύχθη omisso augmento, v. 956, 961 κερτόμιος, v. 971 ἀρατόν, v. 973 δάμαρ, v. 981 ἄντασ', v. 984 rursus sine augmento τράφη, ib. θυέλλησιν, quod in codicibus et in scholiis legitur. Quae omnia reputantibus nobis dubium non erit, quin huic carmini, quod totum in fabularum exemplis versetur, poeta colorem quendam epicum appicturus fuerit. Itaque cum illud τύφλωθεν ab ipso poetae consilio satis excusatum esse videatur, placet praeterea asyndeton, quod cum ea jam exponantur quae antea tantum indicata sunt, et prorsus suo loco est et magna cum vi ad hunc locum adhibetur. Similem autem in collocandis verbis ordinem Sophocles v. 955 secutus est, in quo ζεύχθη primum strophae locum tenet. Recepto vero τύφλωθεν parva praeterea mutatione opus est, ἀλαόν enim in versu insequenti in ἀλαοί mutandum erit, τύφλωθεν ἀλαοί autem similiter dictum est ut μέγαν αὐξηθῆναι et quod v. 791 occurrit σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους φρένας παρασπᾷς. v. 975 cum ἀραχθὲν ἐγχέων sensu careat, id quod Lachmannus proposuit, Boeckhius recepit ἀραχθέντων et proxime a codicum scriptura abesse et vel ob simplicitatem Hermanni invento ἄτερθ' ἐγχέων praeferendum esse videtur. Dativus κύκλοις proxime cum ἀλαοί conjungendus est. Totum locum inde corruptum esse existimaverim, quod librarii τύφλωθεν non intelligebant; eo enim in τυφλωθὲν mutato exorta est obscuritas quaedam, quae etiam reliqua corripuit. Nihil igitur restat, nisi ut universam stropham talem, qualis Sophocle dignior esse videtur, in conspectum ponamus:

παρὰ δὲ Κυανέων πελαγέων διδύμας αἰλός
ἀκταὶ Βοσπόριαι ἰδ' ὁ Θρῃκῶν ἄξενος
Σαλμυδησσός, ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης δισσοῖσι Φινείδαις

VIII

εὗδεν ἀρατὸν ἕλκος·
τύφλωθεν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος
ἀλαοὶ ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις,
ἀραχθέντων ὑφ' αἱματηραῖς
χείρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν.

1856. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XVI. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVI

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISIT *GEORGIUS CURTIUS* QUAESTIONES ETYMOLOGICAS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Proximo mense Octobri cum philologi Germaniae, prioribus annis in meridionali vel media parte communis patriae convenire soliti, omnibus qui in his regionibus antiquitatis studia colunt acclamantibus, fere ad fines Holsatiae accessissent, ego quoque ad illorum dierum disputationes aliquantulum contribuere conatus sum. Et quoniam in graecorum latinorumque verborum originibus indagandis versabar, nec ab illa occasione nec a studiis meis alienum fore existimavi, si de ea quae inter utramque linguam intercederet ratione quid statuendum videretur, adumbrare magis atque indicare quam explicare studerem. Quam ad rem explorandam duae mihi videbantur viae ineundae esse, initio diversae, in fine autem concurrentes; primum enim in ea inquirendum esse, quae Romani ex Graecorum sermone jam exculto et per magnum orbis terrarum spatium divulgato ad suum usum transtulissent, deinde difficiliorem et ampliorem quaestionem requiri de iis verbis verborumque formis quae utrique populo ex antiquiore illo tempore communia essent, quo Graecorum et Italorum majores inter se nondum discreti unam gentem efficerent a ceteris gentibus ab eadem Indogermanorum stirpe oriundis jam separatam. Itaque cum illa dicendi occasione sic utendum putassem, ut in verbis linguae latinae graecis commorarer, hoc praefandi munere ita functurus fui, ut de quibusdam vocabulis in utroque sermone antiquitus usitatis agerem, inter quae qualis ratio esset, nondum satis explicatum esse videretur.

A Jove principium. Cujus dei nomen latinum quomodo cum Graecorum Ζεύς, Indorum Djâu-s, Persarum Δίαν (τὸν οὐρανὸν Πέρσαι Hesych.), Germanorum veterum *Zio* congruat, post Boppium, Grimmium, alios non est quod doceam. Sed idem inesse videtur in eo quod legimus apud Hesychium: Δειπάτυρος θεὸς παρὰ Στυμφαίοις, quod a quibusdam Hesychianae molis editoribus tam parum intellectum est, ut pro θεόν θεῖον scribendum et patruum intelligendum esse opinarentur. Verum, nisi omnia me fallunt, Stymphaei illi epirotici, quos etiam Tymphaeos dictos esse constat, Δειπάτυρον eundem

deum vocarunt qui Romanis Juppiter, Umbris in casu vocandi Jupater (Aufrecht u. Kirchhoff II, 409) dictus est. Habuerunt igitur hoc cum Romanis commune, quod deorum hominumque patris nomini hoc ipsum patris vocabulum ita adjungerent, ut non nominativus sed ipsa nominis stirps cum illo vocabulo componeretur. Ea autem apud Graecos ΔιF, apud Romanos *Diov* sonat, illi formae sanscritum *div*, huic *djav* respondet. Ex breviori ΔιF factum est ΔιF-πατυρο-ς, post, abolito digammo, Δίπάτυρος, et sic apud Hesychium, qui propter sui temporis pronuntiationem ῐ et ει saepissime inter se confudit, scribendum erit; ex ampliore Diov Diu-piter et contractum Jû-piter sive Juppiter. De terminatione, quam in nominibus propriis paulo diversi generis Ἀντίπατρος, Κλεινόπατρος, Σώπατρος, Σωσίπατρος invenimus, non est quod miremur; υ autem ibi positum ubi aut nullam aut, ut in εὐπατέρεια, ε vocalem exspectamus aeolicarum vocum πανήγυρις, σύρξ, ὄνυμα et homerici δια-πρ-ύ-σιο-ς nos commonefacit. Nec praetermittendum est Hesychianum αἴτυρον ὕαλον quod α digammi in locum posito, ut in Cretensium ἄερσαν δρόσον (Hesych.), latino *vitrum* respondere, quis est quin videat?

Antiquissimum in vita rustica usum habuisse videtur vocabulum graecum quod in Hesiodi Operibus quinquies commemoratur καλιή

ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος, ὄφρα σε Λιμὸς
ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ' εὐστέφανος Δημήτηρ
αἰδοίη, βιότου δὲ τεὴν πιμπλῆσι καλιήν. v. 299
. . . σοὶ δ' ἔργα φίλ' ἔστω μέτρια κοσμεῖν,
ὥς κέ τοι ὡραίου βιότου πλήθωσι καλιαί. v. 307
Μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω
αἱμύλα κωτίλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν. v. 372
Οὐ γὰρ ἐτωσιοεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν. v. 409
Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. v. 503

Hi versus vulgo sic explicantur ut v. 372 et 503 domum vel casam, reliquis locis horreum significari dicant. Quaerentibus autem, quid ad vocabulum nostrum cognoscendum vel lexicorum veterum auctoritate vel aliorum scriptorum usu adjuvemur, primus qui post Hesiodum eo usus sit nobis occurrit is cui sub Phocylidis nomine, falso quidem ut videtur, debemus versum pseudophocylid. 84

μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω

cui similis est Theocriti versus carminis XXIX, 12

ποίησαι καλιὴν μίαν εἰν ἐνὶ δενδρέῳ

in utroque enim καλιά mutata quantitate nec domus, nec horrei, sed nidi vim habet.

Veterem autem syllabae paenultimae quantitatem retinuerunt Crinagoras (Anth. Pal. VI, 253, 3)

Πανός τ' ἠχήεσσα πιτυστέπτοιο καλιή

et Apollonius Rhodius I, 170

ἔντεα γάρ οἱ
πατροκάτωρ Ἀλεὸς μυχάτῃ ἐνέκρυψε καλιῇ.

Denique afferendus est Artemidorus qui in Onirocrit. II, 24 haec praebet: σιροὶ δὲ καὶ κάπετοι καὶ καλιαὶ [sic Reiskius pro vulg. καλεαὶ] καὶ πάντα ἐν οἷς θησαυρίζεται καὶ ἀνατίθεται τὰ σπέρματα γυναῖκα σημαίνει. Lexicographi vero fere in eo consentiunt quod καλιάν νεοττιάν et οἶκον significare contendunt κυρίως ξύλινον, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ λιθίνων οἰκιῶν (E. M., E. Gud.), κᾶλα γὰρ τὰ ξύλα (Suid. Hesych., Schol. Apoll. Rhod. I, 170). In quo unusquisque videt idem accidisse hominibus etymologiarum umbras captantibus quod saepissime accidit, ut falsa originis specie a recta via deducti ea ipsa ad significationem invertendam abuterentur. καλιή enim a κᾶλον sive κῆλον derivari non potest nisi ab iis qui veterum vestigia prementibus omnia, nostra ratione usis nihil nobis licere opinentur. Obstat autem praeter mensuram usus. Pani enim quis ligneam casam tribuat, vel quis animum inducat Alei domum in Apollonii loco ligneam putare?

Exstant praeterea vocabula ab eo quod quaerimus haud multum diversa καλιός cum deminutivo καλίδιον et καλιάς. Quorum de primo Pollux agit Onomast. X, 160: καλιὰ καὶ καλιὸς ὁ τοιοῦτος [i. e. ὀρνίθειος] οἰκίσκος ὡς Κρατῖνος Θρᾴτταις

ἐς τὸν καλιόν, ἣν τύχῃ, καθείργνυται.

ἤδη δὲ καὶ τὸν πρὸς οἰκήσεις ἐπιτήδειον οὕτω λέγουσιν, ὡς ἐν Ἐλπίδι Ἐπιχάρμου εἴρηται

τὸν τοῦ γείτονος καλιόν

ἐν δὲ Εὐπόλιδος Αὐτολύκῳ

οἰκοῦσι δ' ἐνθάδ' ἐν τρισὶν καλιδίοις
οἴκημ' ἔχων ἕκαστος.

Καλιάς autem, ab alterutro propagatum, modo domum significat ut apud Philodemum Anthol. Pal. XI, 44, 1

Αὔριον εἰς λιτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
ἐξ ἐνάτης ἕλκει μουσοφιλὴς ἕταρος,

modo sacellum ut apud Plutarchum (Num. 8) et Dionysium Halicarnassensem.

Jam vero ut a Graecis in Italiam transeamus, habent Romani vocabulum quod omni fere ex parte ei de quo disseruimus respondere vel ii concedent, qui etymolo-

gorum arti parum fidei habeant. *Cellam* enim oleariam, vinariam, penariam Italiae agricolae non minus refertam sibi cupiebant, quam Hesiodi aequales καλιήν, nec aliam ob causam Capua cella atque horreum Campani agri dicta est, nisi quod ibi condebantur quae fertilissima regio protulerat. In cellis praeterea servi habitabant, ut apud comicos invenimus qui ἐν καλιῷ vel ἐν καλιδίῳ degerent. Avium plerarumque quidem quae clausae tenebantur non cellae, sed caveae fuerunt, anserum vero et columbarum cellae, quarum quae in tegulis columbis exstruebantur possunt cum nidulo illo comparari quo in arbore posito Theocritus se una cum amasio inclusum cupit. Denique ut apud Graecos καλιαί ξυλινά τινα περιέχοντα ἀγάλματα εἰδώλων et καλιάδες deorum fuerunt, ita apud Romanos cellae. Quae cum ita sint, a vero nos non aberrare puto, si utrumque vocabulum ab una eademque stirpe formatum et a simplicis aediculae, frugibus condendis exstructae, notione ad reliquum usum translatum statuimus. Ea autem vocabuli graeci vis valet si non in omnibus — nam de postremo dubitari potest — in quattuor tamen prioribus locis Hesiodeis. Nam quae versu 372 nobis describitur mulier corrupta ac fraudulenta, eam ut caveat admonetur agricola non quod totam domum pervestiget, sed quod cellam; erit autem, ni fallor, similis ejus, quae est in Simonidis Amorgini fr. 6, 46

ἐσθίει μὲν ἐν μύχῳ
προνὺξ, προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρᾳ.

Nec dubium esse potest, quin Aleus ille Apollonianus, nepotem quominus belli pericula subiret impediturus, arma in clauso aliquo loco abscondiderit. Ceterum apud rusticos antiquum illum graeci verbi usum durasse testis est Artemidorus. In utraque autem lingua etiam parva aedificia alius generis ob cellarum illarum similitudinem idem nomen acceperunt. Nec a simplicium hominum et agrestium ratione alienum esse videtur, quod etiam diis καλιάς, καλιάδας sive cellas tribuebant. Una igitur in graecis masculinae formae significatio restat, quae quomodo cum reliquo usu conjungi possit non video. καλιός enim numella dicta est vel τὸ ξύλον ᾧ ἐδέοντο οἱ ἐγκαλοσκελεῖς (Schol. Arist. Plut. 476, Hesych.). Sed cum eadem res κλοιός vocetur, haud scio an utrumque vocabulum ab alia stirpe propagatum sit.

Itaque cum de usu satis dictum esse videatur, restat ut horum vocabulorum formam explicemus. Nam si quis statuerit καλιάν et cellam prorsus idem verbum esse, ei non poterimus assentiri. ἄλλος enim et *alius*, ἄλλομαι et *salio* inter se comparatis intelligitur Graecos saepius geminatam λ litteram posuisse ubi Romani *li* syllabam, contrariae vero vicissitudinis exemplum inveniri non puto. Quare et καλιά

et cella derivanda erunt ex antiquiore aliqua forma, quae cum non exstet fingi a nobis potest *kalâ*. Ex ea Graeci femininam formam similiter propagarunt ut a σκοπή σκοπιά, στρατός στρατιά, τρόχος τροχιά. De latino vocabulo dubitari potest. Nam cum geminatarum litterarum usum apud Romanos non admodum antiquum esse constet, jam Vossius in Etymologico monuit ab antiquissima scribendi ratione *cela* proficiscendum esse. Verum cavendum erit, ne nimium stilo tribuamus, cujus consuetudo vivae vocis sonum nunquam prorsus exaequat. Qui enim ante Ennium tela et mella, felem et pellem, pilum et lapillum ita a Romanis pronunciata esse diceret, ut paenultimae syllabae sonus plane idem esset, is haud dubie erraret. Itaque ut in parum usitatis et ignotae originis vocibus interdum erratum sit, in universum non est, quod eos qui Ennii aetate accuratiorem scribendi rationem induxerint vivae vocis usum antiquitus servatum, necdum satis litteris distinctum secutos esse negemus. Eamque ob causam cella vocabulum ab eo quod posuimus *kalâ* ita derivatum esse crediderim ut a tabula tabella, ab anulus anellus. Jam vero in lingua sanscrita habemus vocabulum *khala-s*, quod a Kuhnio (Weber, Indische Studien I, p. 360), cum graeco καλιά comparatum est. Cui comparationi spiritus initiali litterae additus non obstat, quia haud raro ab Indis tenui quae vocatur consonae adjicitur. Significat autem *khala-s* sive *khala-m*, Wilsonio auctore, aream triturae frumentorum destinatam (a threshing floor), quod si ab iis quae exposuimus abesse videatur, granarii, molae, et magis universalis loci significationes, quae eidem nomini tribuuntur, paullo melius respondent. Nec omittendum est sanscritum *çâlâ*, quo domus et area amplior (a hall) significatur, nec quod ab hoc deflexum est caveae nomen *çâlâra-m* (a birdcage). Quae quomodo inter se cohaereant et unde originem ceperint ii videant, qui in linguae sanscritae vocabula diligentius inquirere coeperunt. Romanorum autem grammatici, Varro, Servius et Paulus Festi epitomator (p. 66 M.) cellam a celando dictam esse statuunt. Quod verbum cum a breviori, quae est in *oc-cul-o*, *cal-im* sive *callim* et *clam* (Paul. p. 47), forma propagatum sit, cui dudum germanicum *hëlan* comparaverunt, et cum apud Graecos eadem radix et verbo καλύπτω et nomini, quod cum Latinorum *cu-cullo* et germanico *hel*-m congruit, καρά-καλλον subesse videatur, illam originationem cur rejiciamus non video.

Graecorum ὦμο-ς et latinum *umeru-s* idem vocabulum esse diu constat. Eas formas ita congruere, ut ex ea quae ab Indis, umerum *amsa-s* et a Gothis, eundem *amsa* vocantibus, servata est, Graeci ὀμσο-ς, postea ὦμο-ς, Latini vero inter *ms* vocali interposita *omeso-s*, postea *umesu-s*, *umeru-s* fecerint, accuratissime ab Aufrechtio

demonstratum est (Zeitschr. f. vergl. Sprachf. I, 283). Sed ex graeca lingua afferri potest forma, quae aliqua sane ex parte similior est latinae. Legimus enim apud Hesychium ἀμέσω ὠμοπλάται — nam hoc, non ἀμέσῳ ὠμοπλάτῃ, Schouwius in codice ms. invenit — quae forma ex qua dialecto desumpta sit quis divinaverit? Sed patet ἀμέσω et ὦμω diverso modo ad μσ conjunctarum sonum, invisum Graecis, evitandum ex vetere illo ἀμσω facta esse. Pars enim Graecorum explosa littera sibilanti ut ex ἐγαμ-σα ἔγημ-α ita ex ἀμσω sive ὀμσω ὦμω fecit, pars eandem quae in futuro γαμ-έ-[σ]ω obtinet rationem secuta illas litteras vocali disjunxit.

Sed etiam quod adjectivo ὠμό-ς respondeat Romanos retinuisse putaverim. Vocem graecam Boppius in Glossario et Benfeyus in Lexico (II, 89) cum sanscritis *áma-s* et *âmá-s* contulerunt, quae crudi notionem habent. His vero latinum *am-âru-s* comparandum esse conjicio, a radice *am* ejusdem quae est in *av-âru-s* et *clâru-s* paragoges ope propagatum. Ipsa radix cum Indis aegrotum esse significet facile et ad cruditatem et ad hujus simillimam salubritatique non minus contrariam immaturitatem et ad amaritudinem, quae saepe immaturitatis indicio est, adhiberi potuit.

Latinum *cardo* jam a Vossio (Etymolog. p. 108) cum graeco κράδη, κραδάω, κραδαίνω comparatum est. Quae verba quid proprie valeant, conspicitur ex diversa κράδη nominis significatione. κράδαι enim arborum cacumina sunt (Wipfel), sic dicta haud dubie quia ventis agitata vacillant i. e. κραδαίνονται. Praeterea autem κράδη machinae illius nomen fuit, quam Pollux IV, 129 in comoedia ejusdem usus fuisse dicit cujus in tragoedia τὴν μηχανήν. Erat autem pensilis supra scenam. Describit eandem Hesychius ἀγγυρίς (l. ἀγκυρίς), ἐξ ἧς ἐνήπτοντο οἱ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐπιφαινόμενοι, in quo quod de tragoedia dicit non congruit cum Pollucis testimonio, nec cum iis quae Plutarchus Proverb. Alexandr. Cent. II, 16 profert κράδης ῥαγείσης · νῦν οὐχ ὁ συκινὸς κλάδος, ἀλλ' ἡ ἀγκυρίς, ἀφ' ἧς οἱ ὑποκριταὶ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐξαρτῶνται θεοῦ μιμούμενοι ἐπιφάνειαν . . . ἐπὶ τῶν προφανέντων αἰφνιδίως καὶ ἀσχημόνως. ἀγκυρίς autem cum hoc loco hamum significet, non multum sane discrepat a cardine januae, quo haec ut machina illa pensilis sic tenetur, ut circumverti et moveri possit. Itaque ab illo κράδης ῥαγείσης proverbio nostrum ‚mit der Thür in's Haus fallen' non multum abfuerit. Inter *card* vero et κραδ ea ratio est quae saepius est inter graeca et latina vocabula. Simili sane modo graeco βραδύς latinum bardus, πράσον porrum, κράνος cornus, τρίτος tertius respondet. Ceterum ejus notionis quae in verbis κραδάω et κραδαίνω conspicitur, vibrandi, commovendi, agitandi, nescio an vestigia remanserint in κορδύλη et κόρδαξ, quorum alterum synonymi ῥόπαλον similem originem habuisse putaverim, alterum, lascivae et

commotioris saltationis nomen, ad illam notionem verbalem bene quadrat. Utrumque vocabulum α litterae in locum recepit ο ut βόρταχος pro βάτραχος, ὄρχαμος ab ἄρχω derivandum. Apud Romanos vero cardines non tantum januarum sunt, sed etiam caeli, qui cum Graecorum polis respondeant, quis dubitaverit, quin similiter denominati sint, ut a vertendo caeli vertices? Castrorum cardines rursus a caelestibus nomen acceperunt. Sed verbalis notionis vestigium superest in cardinibus qui temporum esse dicuntur, ut apud Plinium XVIII, 25, is enim cardinem temporum ‚quadripartitam anni distinctionem' esse dicit. Cui simile est illud Vergilianum Aen. I, 672 ‚haud tanto cessabit cardine rerum' et quod Lucanus praebet VII, 381 ubi ‚extremi cardinis annos' deprecatur. In quibus cardo nostro Schwung, Umschwung respondet, cum reliquus vocabuli usus propius absit a nostro ‚Schwinge.' Itaque cum veterem *kard* radicem utriusque linguae communem fuisse inventum sit, conjecerit forsitan aliquis ad eandem cordis et καρδίας nomen pertinere, in quo eaedem litterae radicales sunt, accepisse autem cor nomen suum a palpitando (κραδαίνεσθαι), id quod jam Etymologici Magni auctori in mentem venit ἀπὸ τοῦ κραδαίνεσθαι, τὸ κινεῖσθαι· καρδία γὰρ ἀεὶ κινεῖται. Quod quo refutetur neque in litteris neque in notione quidquam inest. Sed obstat, quod ea quae in reliquis linguis cognatis cordis nomina inveniuntur quamquam ad eandem illam *kard* radicem reduci possunt, verbum tamen graeco κραδαίνω simile quocum conjungantur non habent. Verum etiam haec difficultas fortasse solvi poterit. Id autem cum fieri non possit, quin oculi eorum, qui puritatem antiquitatis studiorum peregrinis vocabulis allatis inquinari censeant, haud parvo indicorum, slavicorum, lituanicorum vocabulorum numero offendantur, praesenti tempore omitto.

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann*, 1) *publico* officio seminarii homiletici studia et exercitationes moderabitur singulis diebus Jovis horis X et XI; 2) *privatim* a) theologiae practicae partem alteram explicabit quaternis p. h. diebus h. IV; b) seminarii catechetici studiis et exercitationibus praeerit singulis diebus Mercurii horis X et XI. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen* h. t. dec., *publice* historiam ecclesiae Danicae, Slesvicensis et Holsaticae diebus Mercurii h. III—IV., diebus Saturni autem h. XI—XII. enarrabit. *Privatim* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus primam quinquies h. XI—XII. tradet; 2) theologiam symbolicam comparativam diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV. exponet.

Dr. *Carolus Wieseler* *privatim* 1) potiora evangelii Joannei capita diebus Lunae Martis, Veneris et Saturni h. X—XI. explicabit et 2) gravissima Isaiae prophetae vaticinia diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. XII—I interpretabitur.

Dr. *G. Fricke* *privatim* 1) doctrinae dogmaticae partem I. tradet quinis diebus (omnibus d. d. praeter Saturni) h. IV., 2) epistolam ad Hebraeos datam interpretabitur ternis diebus (Martis, Jovis et Veneris) h. IX., 3) *publice* Pauli apostoli doctrinam (*Paulinischer Lehrbegriff*) delineabit binis diebus (Mercurii et Saturni) h. XII.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, acad. h. t. rector, *privatim* 1) jus criminale quinquies per hebd. hor. XI. tradet; 2) exercitationes practicas, quales in judiciis privatis hodie in usu sunt, moderabitur ternis scholis h. XII.

Dr. *Guilielmus Girtanner*, h. t. dec., 1) *privatim* Institutiones juris Romani quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX—XI. duce libro: „*Lehrbuch der Institutionen von Th. Marezoll*, 5. *Aufl.*, *Leipzig* 1854“; 2) *publice* historiam juris Romani privati binis diebus Mercurii et Saturni tradet h. IX—XI.; 3) exercitationes de jure hereditario singulis diebus Saturni h. XII—I. instituet.

Dr. *C. Neuner* *privatim* doctrinam Pandectarum senis per hebd. diebus hh. X—XII. explicabit duce libro: *Arndts' Lehrbuch der Pandekten*, 2. *Aufl.*, *München* 1855.

Dr. *Guil. Ed. Wilda* *privatim* 1) historiam imperii ac juris Germanici enarrabit quotidie hora IX.; 2) jus publicum tradet senis p. hebd. dieb. h. X.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn* *privatim* 1) zoologiam quinquies per hebd. h. XII. docebit; 2) quaternis scholis h. III. systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

Dr. *C. C. Th. Litzmann* *privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem II. tradet quater p. hebd. h. VIII. 2) clinicen obstetriciam moderabitur quater per hebd. h. IX.

Dr. *Aemil. F. Goetz*, h. t. dec., *privatim* 1) pathologiae et therapiae specialis partem primam docebit, sexies per hebdom. hora IX—X., 2) clinicen medicam moderabitur quotidie hora X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen* *publice* diebus Lunae et Jovis hora pomeridiana historiam literariam juris civilis enarrabit. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque consuetis.

Dr. *P. W. Forchhammer* *privatim* 1) Aristotelis libros de Republica interpretabitur quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XII—I.; 2) Ovidii Metamorphoseon libros illustrabit binis diebus Lunae et Jovis h. XI—XII. *Publico* officio in seminario philologico interpretationi orationis Demosthenicae in Aristocratem praeerit singulis diebus Mercurii hh. XI—I.

Dr. *C. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit quinquies per hebdomadem hora X—XI., 2) exercitationes chemicas practicas et analyticas et pharmaceuticas horis XI—II. sueto more in laboratorio academico instituet.

Dr. *G. Karsten privatim* 1) physicen experimentalem senis diebus hora IX. leget, 2) exercitationes physices practicas sueto more instituet, 3) geographiam physicam et geognosiam generalem bis p. h. dd. Merc. Sat. h. XII. tradet; *privatissime* sed *gratis* 4) colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus*, h. t. dec., ethicam (philosophiam moralem et juris) quat. dieb. h. IX. *privatim* docebit; historiam philosophiae recentioris et recentissimae ternis diebus (Martis, Jovis et Veneris) h. IV. *privatim*, et historiam systematum, quae reformationis aetate exstiterunt, *publice* d. Lunae h. IV. tradet.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) litterarum Romanarum historiam tradet d. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. X—XI., 2) Homeri Iliadem interpretabitur d. Lunae, Mercurii, Jovis h. IX—X., *publico* officio 3) seminarii philologici sodalibus Ciceronis Brutum interpretandum proponet reliquasque eorum exercitationes moderabitur d. Martis h. IX—X., Veneris h. IX—XI.

Dr. *Guilielmus Seelig* tradet oeconomiam politicam diebus Mart., Merc., Jov. et Ven. hora VIII., statisticam generalem diebus Mart., Merc., Jov. et Ven. hora IX. Idem de viis ferreis *publice* disseret die Jov. hora VII.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* geographiam et ethnographiam veterem, duce Strabone, diebus Lunae et Martis h. III—IV., mythologiam Germanorum diebus Jovis et Veneris h. III—IV., grammaticam theodiscam ternis per hebd. dieb. et horis posthac definiendis enarrabit; *publice* exercitationes theodiscas moderari perget.

Dr. *Gustavus F. Thaulow* 1) anthropologiam et psychologiam *privatim* docebit quat. diebus hora VIII—IX.; 2) paedagogiam gymnasialem privatim leget quat. diebus hor. III—IV.; publico officio seminarii paedagogici sodalibus praecipuos libros paedagogicos proponet reliquisque exercitationibus praeerit.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* quaternis p. h. horis (X—XI) exercitationes juris civilis instituet, duce *Puchta: Lehrbuch der Pandekten; publice* binis horis (XI—XII.) de selectis juris civilis capitibus disseret.

MEDICINAE.

Dr. *F. Weber privatim* quinquies p. hebd. hor. VII. anatomiam pathologicam generalem et specialem docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit sectiones et inde exercitationes patholog.-histolog. instituet.

Dr. *G. P. E. Kirchner privatim* 1) organicam chemiae pharmaceuticae partem die Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. m. VIII—IX.; 2) pharmacologiae partem generalem die Mercurii h. p. XII—I. et Saturni h. m. VII—IX. docebit, 3) medicinam forensem die Martis, Jovis et Veneris h. p. XII—I. aut alia hora audituris commoda tradet; 4) demonstrationes pharmacognosticas die Lunae et Mercurii h. p. V—VII. *privatissime* instituendas offert.

Dr. *P. L. Panum* 1) *privatim* physiologiam generalem et physiologiam functionum vitae animalis sexies p. h. hora p. IV—V. docebit et experimentis illustrabit, 2) *privatim* histologiam cum exercitationibus practicis conjunctam docebit quater p. h. dieb. Martis et Veneris h. IX—X. et die Mercurii h. VIII—X., 3) *publice* physiologiam pathologicam nutritionis et mutuae connexionis functionum bis p. h. explicabit, 4) *privatissime* exercitationes chemicas medicorum moderabitur diebus Lunae et Jovis h. IX—XII. et diebus Martis, Mercurii et Veneris h. X—XII.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte privatim* hora VII—VIII. botanicen tradet, *publice* hora III—IV. d. Lun. et Jov. demonstrationes plantarum in hort. botan.

Dr. *K. W. Nitzsch* 1) de populorum principum rebus publicis disseret quater per hebd. hora XII—I., 2) medii aevi historiam adumbrabit bis per hebd. ead. hora *priv. Publice* exercitationes historicas semel per hebd. per horas binas instituet.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* logicam inductivam et speculativam quaternis p. h. diebus h. V.; *publice* encyclopaediam scientiarum naturae bis p. h. hora XII.

Chr. K. F. Molbech publice de carminibus danicis medii aevi, quae vocantur „*Kæmpeviser,*“ die Mercurii h. VI—VIII. disseret; *privatissime* sed *gratis* exercitationes danicas diebus Lunae, Martis, Jovis hora VI—VII. solito more moderabitur.

Dr. *G. D. E. Weyer privatim* 1) calculum differentialem et integralem tradet, diebus Mercurii, Jovis et Veneris hor. pomer. VI—VII.; 2) trigonometriam et stereometriam d. Mercurii h. XI—XII., Saturni h. VI—VIII. *Publice* astronomiam exponet binis dieb. Lunae et Martis h. VI—VII.

Dr. *A. Dillmann privatim* 1) librum Jesaiae interpretabitur quinquies per hebdomadem hora posthac definienda, 2) grammaticam Arabicam docebit ter per hebd., 3) *publice* linguae Sanscritae studiosos in literis Indicis instituere perget bis per hebd.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* juris encyclopaediam explicabit diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. XI—XII.; jus *privatum* Slesvicense quinis lectionibus iisque *privatis*, jus ecclesiasticum bis *privatim*, bis *publice* docebit hora posthac definienda.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* historiam evolutionis ovi animalium vertebratorum et hominis binis per hebd. horis docebit.

Dr. *Th. Valentiner privatim* docebit histologiam cum exercitationibus practicis sexies per hebdomadem.

Dr. *P. Jessen publice* diebus Martis et Veneris hora IX—X. psychologiam docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* clinicen chirurgicam moderabitur quotidie binis horis posthac definiendis; chirurgiam docebit quotidie hora pomeridiana III—IV.; *privatissime* cursum operationum chirurgicarum instituendum offert; *publice* demonstrationes pathologicas histologicas habebit.

Dr. *Herm. Schwartz* operationes obstetricias explicabit.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *publice* theoriam percussionis et auscultationis docebit, 2) *privatim* de morbis venereis disseret, 3) *privatissime* exercitationes practicas percussionis et auscultationis moderabitur.

Dr. *P. W. Jessen publice* diebus Lunae et Jovis hora X—XI. de historia psychiatriae et de epidemiis psychicis disseret.

Dr. *M. Claudius*, prosector, leget *privatim* 1) osteologiam et syndesmologiam c. h. ter p. h., 2) histologiam cum exercitationibus practicis sexies p. h., *publice* anatomiae topographicae partes, *privatissima* habebit de anatomia c. h.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *P. Buttel privatim* 1) calculum integralem ter per hebd. diebus Lun., Mart., Jov. h. VIII—IX. docebit, 2) geometriam analyticam ter per hebd. diebus Merc., Ven., Sat. h. XIII—IX. tradet; 3) *publice* theoriam aequationum bis per hebd. diebus Merc. et Sat. h. IX—X. tractabit.

Dr. *G. H. Handelmann publice* diebus Mercurii et Saturni h. XII—I. rerum Anglicarum enarrabit commutationem, a. 1625—1689 factam.

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni h. VIII—IX. exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissimas* scholas anglicas quotidie habendas offert.

J. A. Schwob-Dollé publice semel literaturam franco-gallicam docebit; *privatim* exercitationes gallicas instituet.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, practicas in arte equos subigendi exercitationes moderabitur atque per has scholas practicas simul theoreticas de externa forma equorum judicanda habebit.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur; item in armorum tractatione et gymnastica *M. Maack*, in saltatione *M. Wobeser-Rosenhain* operam suam pollicentur.

(L. S.)

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen,

nach den Stunden geordnet.

Sommerhalbjahr 1856.

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
7—8	*Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie. *Seelig*, Eisenbahnen. *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Kirchner*, allg. Pharmacologie (7-9).
8—9	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oeconom. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm. Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Seelig*, Nation.-Oeconom *Panum*, Histolog. (8-10). *Buttel*, analyt. Geometrie *Lubbren*, prakt. Uebung. d. Engl. Sprache.	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oekonom. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oeconom. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm. Chemie. *Buttel*, analyt. Geometrie.	*Buttel*, anal. Geometrie. *Lubbren*. prakt Uebung. d. Engl. Sprache.
9—10	*Girtanner*, Institut. (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.). *Curtius*, Homer's Ilias. *Panum*, med.-chem. Ueb. (9-12.)	*Fricke*, Hebräerbrief. *Girtanner*, Instit. (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin *Götz*, spec. Pathol. und Therap., Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.) *Curtius*, philol. Seminar. *Seelig*, allgem. Statistik. *Panum*, Histologie. *P. Jessen*, Psychologie.	*Girtanner*, Gesch. d. Röm. Rechts (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgesch. *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys. *Curtius*, Homer's Ilias. *Seelig*, allgem. Statistik *Buttel*, Theorie der Gleichungen.	*Fricke*, Hebräerbrief. *Girtanner*, Instit (9-11.) *Wilda*, Deutsche Staats- u Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.) *Curtius*, Homer's Ilias. *Seelig*, allgem. Statistik. *Panum*, med. chem. Ueb. (9-12.)	*Fricke*, Hebräerbrief. *Girtanner*, Institut (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec Pathologie u. Therapie, Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.). *Curtius*, philol. Seminar. (9-11.) *Seelig*, allgem. Statistik. *Panum*, Histologie. *C. Jessen*, Psychologie.	*Girtanner*, Gesch. d. Röm. Rechts. (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. I. *Karsten*, Experim.-Phys. *Buttel*, Theor. d. Gleich.
10—11	*Wieseler*, d. vornehmsten Kapit. d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil. Ueb. *P. W. Jessen*, üb. Gesch. d. Psychiatr. u. epid. Krankh.	*Wieseler*, d. vornehmsten Kapit. des Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theor. Chemie *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil. Ueb. *Panum*, med.-chem. Ueb. (10-12).	*Lüdemann*, catech. Sem. (10-12.) *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12) *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Panum*, med.-chem. Ueb. (10-12).	*Lüdemann*, homil. Sem. (10-12.) *Neuner*, Pandekt. (10-12.) *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12.) *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil. Ueb. *P. W. Jessen*, üb. Gesch. d. Psychiatr. u epid. Krankh.	*Wieseler*, d. vornehmsten Kapitel d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12.) *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12.) *Himly*, theor. Chemie. *Christiansen*, civil. Ueb. *Panum*, med.-chem. Ueb. (10-12.)	*Wieseler*, d. vornehmsten Kap. d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12).

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
11—12	*Thomsen*, allgem. Kirchengesch., Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Forchhammer*, Ovid. Metamorph. *Himly*, prakt. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2.) *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Thomsen*, allgem. Kirchengesch., Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Himly*, pract., analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Forchhammer*, philol. Sem. Demosthen. in Aristocr. (11-1.) *Himly*, prakt. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2.) *Weyer*, Trig. u. Stereom. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Forchhammer*, Ovid. Metamorph. *Himly*, pract. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Himly*, pract. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, Kirchengesch. Dänem. u d. Herzogth. *Planck*, Criminalrecht. *Friedlieb*, jur. Encyclop.
12—1	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit. *Nitzsch*, allgem. Verfassungsgesch.	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit *Kirchner*, ger. Medicin. *Nitzsch*, allgem. Verfassungsgesch.	*Fricke*, Paulin. Lehrbegr. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, phil. Sem. *Karsten*, phys. Geogr. u. allg. Geognosie. *Nitzsch*, Uebers. d. Gesch. des Mittelalters. *Harms*, Encycl. d. Naturw. *Handelmann*, Gesch. d. engl. Revolution.	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit. *Kirchner*, gerichtl. Medic *Nitzsch*, allg. Verfassungsgeschichte.	*Wieseler*, ausgew. Stücke des Jesaias. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit *Kirchner*, gerichtl. Medic. *Nitzsch*, allg. Verfassungsgeschichte.	*Fricke*, Paulin. Lehrbegr. *Girtanner*, Uebungen üb. Erbrecht. *Karsten*, phys. Geogr. u. allg. Geognosie. *Nitzsch*, Uebers. d. Gesch. des Mittelalters. *Harms*, Encycl. d. Naturw. *Handelmann*, Gesch. d. engl. Revolution.
3—4	*Thomsen*, compar. Symbol. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Müllenhoff*, alte Länder- u. Völkerkunde (Strabo) *Thaulow*, Gymnasialpädagogik *Nolte*, Demonstrationen. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, compar. Symbol. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Müllenhoff*, alte Länder- u. Völkerkunde (Strabo). *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. Dänem. u. d. Herzogth. *Müllenhoff*, deutsche Ueb. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, comp. Symbolik *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Müllenhoff*, deutsche Mythologie. *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Nolte*, Demonstrationen. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, comp. Symbolik. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Müllenhoff*, deutsche Mythologie. *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Esmarch*, Chirurgie.	*Müllenhoff*, deutsche Ueb. *Nolte*. botan. Excursionen (3-8). *Esmarch*, Chirurgie.
4—5	*Lüdemann*, prakt. Theol. Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. Philosophie im Reformationszeitalter. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theolog. Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Th. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theol., Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theol., Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Panum*, Physiologie.

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
5—6	*Kirchner*, pharmacognost Demonstrationen (5-7). *Harms*, Logik.	*Harms*, Logik.	*Kirchner*, pharmacognost. Demonstrationen.	*Harms*, Logik.	*Harms*, Logik.	
6—7	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Astronomie.	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Astronomie.	*Molbech*, dän. mittelalt. Volkspoesie. (6-8). *Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Weyer*, Trigonometrie u. Stereometrie (6—8).

An später zu bestimmenden Tagen und Stunden:

Karsten, pract. physik. Uebungen; physikal. Colloquia. ***Müllenhoff***, deutsche Grammatik ***Thaulow***, pädagog. Seminar (Quellenkunde). ***Christiansen***, ausgewählte Abschnitte des Civilrechts von 11—12. ***Weber***, Sectionen und patholog.-histolog. Uebungen. ***Panum***, Physiologie der Ernährung und der Wechselwirkung der Functionen, 2 Mal wöchentlich. *Nitzsch*, histor. Uebungen, 2 Stunden. ***Dillmann***, Erklärung des Jesaia 5 Mal, arabische Grammatik 3 Mal, Sanskrit III. Curs. 2 Mal wöchentlich. ***Friedlieb***, Schlesw. Privatrecht 5 Mal, Kirchenrecht 4 Mal wöchentlich. ***W. H. Valentiner***, Geschichte der Entwickelung aus dem Ei, 2 Mal wöchentlich. ***Th. Valentiner***, Histologie 6 Mal wöchentl. ***Esmarch***, 1) chirurg. Klinik, 2) Cursus chirurg. Operationen, 3) pathol.-histolog. Demonstrationen. ***Schwartz***, geburtshülfl. Operationen. ***Bartels***, 1) Theorie der Percussion u. Auscultation, 2) venerische Krankheiten, 3) pract. Uebungen d. Percussion u. Auscultation. ***Claudius***, 1) Osteologie u. Syndesmologie 3 Mal, 2) Histologie 6 Mal, 3) topographische Anatomie, 4) Privatissima über Anatomie. ***Schwob-Dollé***, französ. Litteratur u. Uebungen 1 Mal wöchentlich.

1856. III.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE HIBERNUM

A DIE INDE XVI. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLVI

USQUE

AD DIEM XVIII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST G. CURTII COROLLARIUM COMMENTATIONIS DE NOMINE HOMERI SCRIPTAE.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

In arte etymologica, quam quisque lubricam, nemo oblata occasione a se alienam putat, hoc praecipue tenendum esse existimo, ne ab eo qui in hac arte versatur postulemus ut omnia explicet, simul autem, ne ullam vel in minutissimis rebus cuiquam aut temeritatem concedamus aut negligentiam. Quare cum ea quae superiore anno de nomine Homeri commentati sumus quibusdam viris doctis veri similia, aliis minus recte disputata esse visa sint, ita ad illam quaestionem mihi revertendum duxi, ut nihil certe contra artis regulas vel audacius positum, vel omissum a me negligentius esse probarem.

Oblocutus autem mihi est vir de carminum homericorum historia optime meritus, Sengebuschius, in ea quae Odysseae Dindorfianae praemissa est dissertatione Homerica altera. In qua duo maxime nostrae sententiae opponit argumenta, alterum ita comparatum ut omnibus contrarium sit quicunque in Homeri nomine ἀρ inesse putaverint, alterum quo mea unius ratio impugnetur. ‚Toti,' inquit, ‚illi derivationi nominis Homeri ab ὁμοῦ et ἄρω factae hoc maxime obstare crediderim, quod Aeolenses et Dorienses non pronuntiarunt Ὅμαρος, sed ut Iones et Attici Ὅμηρος.' Quod ita se habere magno exemplorum numero demonstrat. ‚Jam vero,' ait (p. 92), ‚eam legem fuisse constat et Aeolicarum et Doricarum dialectorum, ut ubicunque in Attica et Ionica η littera ex α orta esset, longum α exhiberent; ubi ex ε nata esset cum Atticis et Ionibus Dorienses et Asiani Aeolenses η posuerunt, Boeoti vero ει. Itaque si vera ea nominis Homeri derivatio esset, dicendum fuisset Dorice Aeoliceque Ὅμαρος.' In quo virum cautissimum fugit id quod in propatulo positum est, aliam esse appellativorum nominum rationem, aliam propriorum. Nam ut in terminationibus (Ἑλένα) et interdum in ipso vocabulorum corpore, ibi praecipue, ubi origo nominis

perspicua fuit (Στησίχορος, Μενέλας), dialectorum differentia etiam ad propria nomina pertinuerit, tamen in universum ea nominis figura in reliquis dialectis retenta est, quae est proprii alicujus nominis nativa. Et haec lex ita videtur quodammodo necessaria esse ut non apud Graecos tantum sed apud omnes gentes valeat. Itaque ut nostris temporibus qui in inferiore Germania nati sumus poetae recentissimi nomen Bavaricum quod est Bacherl quamquam pronuntiatu nobis difficillimum immutatum relinquimus, ita veteres Athenienses Lacedaemonium poetam Ἀλκμᾶνα non Ἀλκμαίωνα, Mitylenaeam poetriam quamquam non Ψαπφώ, Σαπφώ tamen, non Σοφήν vocarunt et retinuerunt Corinnae Erinnaeque nomina Aeolica non minus quam quod est apud Homerum Θερσίτης. Quare cum dialectorum in nomine Homeri consensu nihil omnino ad ejus originem explorandam proficiatur, non magis probabimus quae Sengebuschius inde deducit. Is enim, etiamsi verum esset id quod nequaquam constat, η litteram in illo nomine non esse ex ᾱ ortam, tamen non recte inde concluderet, mediam nominis syllabam unquam brevem fuisse. Nam ex qualitate, ut ita dicam in quantitatem litterae nulla conclusio est, illoque artificio, quo vir doctissimus, majusculis litteris usus, ab Ὅμηρος ad ʽΟΜΕΡΟΣ, ab ʽΟΜΕΡΟΣ ad Ὁμᾶρος nos deducit, omnino supersedere poterat. Constat autem et Graecos et Italos inde ab harum gentium primordiis e vocalem habuisse eamque modo correptam, modo perductam. Ea quod apud Italos semper, apud Graecos antiquiore tantum tempore unam figuram habuit, id non ad linguae rationem, sed ad pingendi artem pertinet. Quamobrem etiam Dorienses et Aeolenses in quibusdam vocabulis pro eo quod in lingua antiquissima fuit â η una cum Ionibus usi sunt. Quamquam enim οἱ ὑπερδωρίζοντες ἁμι- et ἅμισυς bis vel semel dicere ausi sunt, vulgaris tamen etiam apud Dorienses et Aeolenses forma fuit ἡμι- et ἥμισυς ut apud Latinos *sêmi*. Indi vero et Germani antiquiores dixerunt *sâmi*. Nec usquam invenitur ἆμαι pro ἧμαι positum, etsi in hujus verbi radice â litteram primitivam fuisse comparatione linguae Sanscritae evincitur. Quare qui ex dorico ἧμι et ἧμαι unquam ἑμι et ἑμαι pronunciatum esse concluderet is haud dubie erraret.

Alterum quod Sengebuschius contra nos profert ejusmodi est, ut magis ad generales quae sunt de sermonis humani natura atque progressu quaestiones quam ad unius alicujus linguae explorationem pertineat. Dicit enim (p. 90) se sibi persuadere non posse, discrimen illud, quod inter ὁμο et σύν in multis sane exemplis obtineat, ad tempora quoque illa vetusta pertinere, quibus origines nominis Ὅμηρος adscribendae sint. At quantum quidem ex comparata inter se complurium linguarum antiquitate

concludi potest, nequaquam aliena est a linguarum primordiis vocabulorum vel minimorum accuratissima distinctio. Immo admirabilis illa praepositionum conjunctionumque copia, quae ex vetustissimo tempore quasi hereditate quadam ad posteriorum usum pervenit, quomodo nasci omnino potuisset, nisi acerrimo sensu jam tum inter varias vel horum vocabulorum notiones distinctum esset? Itaque ut jam Homeri tempore multum interfuit inter μετά et σύν, quidni discrimen illud antiquissimum fuerit, quod inter eandem illam σύν praepositionem eamque quae est adjectivi ὁμό-ς stirpem intercedere vidimus? Quod mihi quidem non recentius esse videtur, quam quod est inter ξυνός sive κοινός et ὁμός, ὅμοιος et inter latinorum *cum* et *simul*. Nam qui ξύν sive σύν et latinum *cum* a sanscrito *sa*, *sam*, latinoque *simul*, *similis* et graeco ἁ-, ἅμα, ὁμός, ὅμαλος non diversum esse dicunt, ii viderint, quibus exemplis ξ et c litterarum sonos ex sibilante ortos esse demonstrant.

Prorsus aliis argumentis usus est qui nuper sententiam nostram impugnavit Emanuel Hoffmannus, professor Gratianus, in eo quem ‚Homeros und die Homeriden (Wien 1856)' inscripsit libello. Qui quae contra nos protulit ea partim ex rerum Graecarum historia, partim ex disciplina grammatica desumpta sunt. Ac primum quidem quominus Homerum Homeridarum gentis sive poetarum gentis sodalitio inter se conjunctorum eponymum esse concedat, ea re se impediri dicit, quod quae in Graecorum civitatibus fuerint gentes, eae omnino non factae sed natae et ex antiquissimo tempore conservatae sint. ‚Wo sich zunftartiges in der älteren Zeit der Griechen findet, beruht dies nie auf freier Vereinigung von Individuen, vielmehr sind es Reste der alten orientalischen Kastengliederung, beruhend auf der Fortführung einer und derselben Thätigkeit innerhalb eines verwandtschaftlichen Kreises (p. 6).' In quo quae de vitae ratione ex orientali sede apud Graecos conservata dicit de quattuor illis phylis Atticis valeant; sed omnes, quarum quidem Athenis fuerunt CCCLX, gentes non Athenis tantum, sed in universa Graecia jam illo antiquissimo tempore exstitisse, omnesque non lege institutas sed natura factas esse, non facile cuiquam probabit. Veteres certe, a quibus quid hac de re memoriae proditum sit M. H. E. Meierus in libello de gentilitate Attica scripto (p. 23) docuit, non ἀφ' αἵματος tantum, sed etiam νόμῳ gentes fieri statuerunt. Ac quis crediderit mobilia Graecorum ingenia novis artibus efflorescentibus semper in vetustissimis illis institutis acquievisse, nec ullas unquam praeter eas, quae antiquitus traditae erant, gentes condidisse? Immo fuerunt omnino civiles gentes a naturalibus diversae, quae cum non sanguinis sed sacrorum

artisque communione continerentur, quidni etiam poetarum fuerint? cum praesertim Homeridas, qui Chii fuerunt, ejusmodi gentem fuisse constet. Ceterum cum de gentis sodalitio a poetis inito loquerer, me non naturalem gentem intellexisse, neque omnino id voluisse quod quamquam ineptum esset tamen ille me dicentem fecit (p. 3), ‚dass ein Fachgenossenverein sich hinterher als verwandtschaftliche Kaste constituirt habe,' vix est quod moneam. In eo vero recte quae scripsi interpretatus est Hoffmannus, quod dicit, secundum meam sententiam non Homerum sed Homeros sive poetas inter se conjunctos, deinde Homeridas sive poetas gentis sodalitio connexos carmina Homerica in eam quam nunc habeant formam redegisse. Quae sententia quamquam ipsi tam absurda visa est, ut me quoque eam prorsus repudiaturum putet, tamen similia fere est viri ‚nostrum melioris utroque' Augusti Boeckhii, proposita primum in eo, quod in tota illa disputatione secutus sum prooemio a. 1834 aestivo, in quo haec dicit vir celeberrimus (p. 9) ‚Quomodo compeni a variis auctoribus successu temporum rhapsodiae potuerint, quae post prima initia directae jam ad idem consilium et quam vocant unitatem carminis sint, *missis eorum declamationibus, qui populi universi opus Homerum esse jactant*, tum potissimum intelligetur, ubi gentis civilis Homeridarum propriam ac peculiarem Homericam poesin fuisse veteribus ipsis si non testibus certe ducibus concedetur.' Quare tantum abest, ut Hoffmanno duce ea quae de Homeridarum gente tradita sunt solvenda atque rejicienda esse censeam, ut nos in his quaestionibus difficillimis nulla re magis adjuvari existimem. Quod autem poetas illos ‚aptos et inter se conjunctos' vocatos esse conjeci id propterea me non inepte conjecisse arbitror, quod haec ipsa conjuncta et communis heroici carminis tractatio quam maxime mihi videtur propria fuisse poetarum illorum quibus primum ὅμηροι, post ὁμηρίδαι nomen inditum esse suspicatus sum.

Neque tamen historicis tantum sed etiam grammaticis argumentis Hoffmannus me refutare conatus est. Ea autem ejusmodi sunt, ut non multos ei adstipulaturos esse putaverim. Ubi enim in vocabulorum origines graecique sermonis leges inquirit inter antiquissima et recentissima vocabula tam parum distinguit, ut quae apud Nonnum quaeque apud Homerum inveniantur eodem loco habere videatur, ac ne ibi quidem ubi de vocabulorum accentibus agit, ullum discrimen faciat inter ea, quorum origo in aperto est ut στρατηγός, ὁμόφωνος, ὁμήγορος, et ea, quae et ipsis Graecis obscura fuerunt et nos vix unde orta sint conjectura assequimur ut κάρβανος, ὅμιλος, ἄγγελος. Et significationem vocabulorum adeo negligit, ut vestimenti vocabulum καράκαλλα

cum iis comparet, quae quia in agentis quae dicuntur nominum ordine sunt certam quandam accentus legem sequuntur. Multa praeterea profert non satis considerata, in quibus hoc est quod p. 11 legitur „Zunächst werden wir entschieden die Zumuthung zurückweisen, dass die Composita στρατηγός, ναυηγός massgebend sein könnten für Ὅμηρος; während erstere auf dem Genetiv-Verhältniss (?) beruhende Zusammensetzungen von Nominibus und Substantivis (?) verbalibus sind, ist in Ὅμηρος der erste Theil eine Partikel (?), die Wortbildung selbst aber kann nicht unmittelbar aus der Composition von ὁμ-ηρος, sondern nur durch Ableitung von dem componirten ὁμ-αρέ-ω erklärt werden.“ Sed exstant nomina cum praepositionibus composita quae eandem accentus regulam sequantur, cujus generis sunt ἐπακτός, συνεργός, et hoc quidem vocabulum veteres magistri ita a σύνεργος distinxerunt, ut oxytono tantum activam significationem tribuerent (Goettling Accentl. p. 322). Quod autem finxit verbum ὁμαίρω id barbarum prorsus, non graecum est. Contrarium enim foret illi praecepto, quod a Josepho Scaligero detectum merito regium nominarunt, secundum quod verba graeca non possunt nisi cum praepositionibus iisque veris et Graecis usurpatis, non fictis neque ex recentiorum fabrica desumptis componi. Qua de re post Lobeckium (ad Phrynich. p. 561) plura verba facere superfluum est.

Sed cum ipse Hoffmannus quid graeci sermonis leges postularent, parum curaverit, me vituperat quod ὁμο- et ὁμ- idem esse censuerim. Scilicet neminem fore putavi, qui dubitaret, quin inter ὁμ- et ὁμο- eadem ratio obtineret, quae est inter φιλ- (φίλ-ανδρο-ς) et φιλο- (φιλό-καλο-ς), inter ἰσ- (ἰσ-ήγορο-ς) et ἰσο- (ἰσο-δίαιτο-ς). Atque hoc quoque post Buttmannum (Ausf. Gramm. II, 457) apud omnes constare existimabam, retentae ante vocales ο litterae eandem esse in ὁμο-ειδής atque in θεο-ειδής, in ὁμο-επής et in ἰσο-επής causam, eam quidem quod in hiatu veteris consonae initialis vestigium remanserit. Nec meum erat illo loco in ea exempla inquirere quae ab hoc praecepto excepta esse viderentur, cum etiam in aliis vocabulis quae cum adjectivorum in ο stirpibus composita essent, et litteram illam interdum neglectam esse viderem (φιλ-εργός) et ο a posterioribus praecipue scriptoribus contra regulam retentam (ἰσο-ειδής). Quare etiam post ea quae Hoffmannus disseruit non dubito, quin ὁμ-ήθης et ὁμο-ήθης ejusdem originis nec magis inter se diversa sint, quam κακ-ήθης (Nicand.) et κακο-ήθης (Plat. Demosth.). Significatio sine dubio ea propria fuit, quam ὁμο-ήθης in Platonis Gorgia p. 510 habet, ubi ὁμο-ήθης i. e. aeque moratus explicatur verbis sequentibus ταὐτὰ ψέγων καὶ ἐπαινῶν. Eadem forma eodem modo Aristoteles utitur Eth. Nic. VIII, 13,

ubi conjunctim leguntur ὁμοπαθεῖς et ὁμοήθεις. Brevior forma ὁμήθης apud Alexandrinos poetas primos, si quidem lexicis fides habenda est, et solos legitur, eaque duplicem usum habet. Apollonius enim II, 917 ὁμήθεας ἄνδρας eosdem quos Aristoteles dixit, aeque moratos, III, 118 vero κούρους ὁμήθεας pueros notos et familiares, et Nicander paulo audacius idem vocabulum etiam ad rem, moribus proprie quidem non praeditam transtulit, cum Theriac. 415 ὁμήθεα λίμνην diceret. Quae significationis mutatio comparari potest cum ὁμοπαθής et ὁμοπάθεια apud posteriores et συμπαθής, συμπάθεια nominum apud antiquiores scriptores usu. Nam cum nihil magis quam morum et affectus similitudo familiaritatis indicium sit et cum poetae maxime etiam rerum naturam humanorum affectuum quodammodo participem sibi fingant, ex primaria illa notione in utrumque eum de quo diximus facile transitus fieri potuit, ut apud nos vocabula Sympathie, sympathisch latissimum usum habent. Id certe constat significationis discrimen non in ὁμ- et ὁμο- formarum diversitate positum esse; consuetudo enim non tantum ὁμήθεια sed etiam ὁμοήθεια (Philostr. Vit. Apollon. II, p. 61) vocatur. Apparet igitur totum illud, de quo Hoffmannus p. 16 disputat, inter ὁμο- et ὁμ- discrimen omnino nihili esse. Istud enim quod invenit, sanscritoque *sam* respondere dixit, ὁμ nec exstat in lingua graeca nec, cum nullum in ea quod in μ exeat vocabulum inveniatur exstare potuit. Immo res ita se habere videtur, ut tribus formis sanscritis inter se cognatis tres graecae respondeant, brevissimae *sa* Graecorum ἀ- (ἀ-δελφο-ς) sive ἀ- (ἄ-κοιτι-ς), paulo pleniori *sam* ὀ- (ὀ-πάτωρ), adjectivo *sama* Graecorum ἅμα et ὁμο-, nullum autem horum vel cum ξύν, σύν, vel cum Germanorum *ka*, *ga*, *ge*, vel cum Romanorum *cum*, *con* quidquam commune habeat. Quare cum mihi quidem constare videatur, nullum inter ὁμο- et ὁμ- discrimen intercedere, ipse autem Hoffmannus concedat ex ὁμο- et ἄρω id quod velit effici non posse, ad finem disputationis venissem, nisi in ingenti quae ille profert incredibilium multitudine unum inveniretur, quod nollem silentio praeterire. Nam Sengebuschius et Hoffmannus, quantumvis in reliquis inter se discrepent in hoc consentiunt, quod Ὅμηρος et Θάμυρις inter se cognata esse opinantur. De quo in Hoffmanno non miratus sum, qui quidem etiam alia diversissima inter se congruere dicat et p. 52 utrumque nomen non modo cum θέμις, sed etiam cum δῆμος et δαμάω, cum θάμβος et — in quo neminem assentientem habebit — cum sanscrito *dhmâ*, flandi verbo, conjungat. Quamquam non video, quomodo haec sententia cum iis concinat, quae antea de spiritu aspero ex sibilanti orto bene disseruit. Sed Sengebuschio miror ea de re nullam abortam esse dubitationem,

qui p. 98 ὀμ- radicis, quam ponit, antiquiorem formam ἀμ-, antiquissimam ϑαμ- fuisse contendit. Contrarium in modum Lobeckius disputat, qui (Elem. pathol. p. 101) veteribus etymologis ϑάμα πλεονασμῷ τοῦ ϑ ex ἅμα derivantibus quamquam dubibanter assentitur. Verum qui de antiquissimis vocabulorum graecorum formis ita judicat ut sanscritae latinaeque reliquarumque hujus originis linguarum nullam rationem habeat, is omnino non judicat sed divinat et suspicatur. Itaque cum spiritum asperum in hac voce ex *s* ortum esse constet, *s* autem litterae in *dh* sive ϑ vel ϑ litterae in spiritum asperum conversae exemplum non inveniatur, apparet recte jam a Pottio (Et. Forsch. II, 56) eos vituperatos esse, qui ἅμα et ϑαμά inter se cognata esse dicerent, neque magis credibile esse Homeri nomen cum Thamyrae cohaerere. Quamquam ad illam etymologiam impugnandam fere jam significationis ratio sufficeret, quae minime eadem est in ἅμα et ϑαμά et quae inde derivantur ϑαμινός, ϑαμειαί, ϑαμίζω. Simul enim et frequenter vocabula quamquam id quod in nostro sermone est zusammen utrumque quodammodo significare videtur, satis tamen inter se discrepant.

Paulo diutius commorati sumus in falsis etymologicis refutandis, non quo eas a multis probatum iri existimem, sed ut novo exemplo demonstretur, in his quaestionibus nisi cautissime et diligentissime tractentur ad verum perveniri non posse.

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann* 1) *publice* seminarii homiletici studia et exercitationes moderabitur singulis diebus Jovis hh. X et XI; 2) *privatim* a) ethicen Christianam docebit quaternis p. h. diebus h. IV, b) seminarii catechetici studiis et exercitationibus praeerit singulis diebus Mercurii hh. X et XI. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen*, h. t. dec., *publice* Origenis Alexandrini et Augustini Hipponensis vitas et dogmata diebus Mercurii h. III—IV, diebus Saturni autem h. XI—XII enarrabit et comparabit invicem. *Privatim* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus secundam quinquies h. XI—XII tradet, 2) philosophiam religionis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV exponet.

Dr. *Carolus Wieseler privatim* 1) Pauli epistolam ad Romanos datam diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. XII—I explicabit et 2) Psalmos quinis scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. X—XI interpretabitur.

Dr. *G. Fricke privatim* 1) doctrinae dogmaticae partem alteram tradet quaternis diebus (Lunae, Martis, Jovis, Veneris) h. VI; 2) vitam Jesu Christi secundum quattuor evangelia adumbrabit quaternis diebus (Lunae, Martis, Jovis, Veneris) h. V; 3) *publice* apologeticen sive principia Protestantismi ejusque rationem ad ecclesias non protestanticas explicabit binis diebus (Mercurii et Saturni) h. XII.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, h. t. rector, *privatim* 1) judiciorum privatorum ordinem h. XI — XII et diebus Saturni h. XI — I; 2) judiciorum publicorum ordinem diebus Lunae et Jovis h. XII—I tradet.

Dr. *Guilielmus Girtanner*, h. t. decanus, *privatim* doctrinam Pandectarum (excepto jure hereditario) quotidie tradet hor. X—XII; *publice* exercitationes instituet de jure Pandectarum horis posthac definiendis.

Dr. *C. Neuner* *privatim* 1) institutiones et historiam juris Romani quaternis p. h. diebus hor. XI — I, duce libro: *von Scheurl, Lehrbuch der Institutionen, 2te Aufl., Erlangen* 1855; 2) jus hereditarium Romanum, quaternis p. h. horis tradet, duce libro: *Arndts, Lehrbuch der Pandekten, 2te Aufl., München* 1855.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn*, h. t. decanus, *privatim* anatomiam corporis humani sexies p. h. h. II docebit. *Privatissime* exercitationes anatomicas practicas omnibus diebus non festis h. IX—I moderabitur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann* *privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem priorem tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III, 2) clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX.

Dr. *E. F. Goetz* *privatim* 1) pathologiae et therapiae specialis partem secundam docebit, sexies p. hebdomadem h. IX — X, 2) clinicen medicam moderabitur, quotidie hora X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen*, h. t. decanus, *publice* diebus Lunae et Jovis hora pomeridiana historiam literariam juris civilis tradet. Bibliothecam publicam duabus horis quotidie aperiet.

Dr. *P. W. Forchhammer* *privatim* 1) Demosthenis orationem de corona interpretabitur quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI, 2) exercitationes Aristoteleas moderabitur singulis diebus Lunae hh. XI — XII et XII — I. Publico officio 3) in seminario philologico interpretationi librorum Ciceronis de republica praeerit singulis diebus Mercurii hh. XI—I.

Dr. *C. Himly privatim* 1) chemiam theoreticam docebit hora X—XI quinquies per hebdomadem, 2) chemiam analyticam hora XI — XII diebus Mercurii et Saturni tradet, 3) exercitationes chemicas practicas et analyticas et pharmaceuticas atque medicas horis XI—II in laboratorio academico sueto more instituet.

Dr. *G. Karsten privatim* 1) physicen experimentalem senis diebus h. V—VI, 2) mineralogiam et crystallographiam docebit die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. XII—I, 3) exercitationes physices practicas sueto more instituet; *privatissime* sed *gratis* colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus* 1) logicam et metaphysicam quat. dieb. h. IX — X *privatim* docebit, 2) historiam philosophiae antiquioris quat. dieb. h. IV — V *privatim* tradet, 3) disputationes philosophicas *publice* moderabitur.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) encyclopaediam et methodologiam philologiae tradet d. Martis et Jovis h. XII—I, 2) grammaticae graecae latinaeque comparativae prolegomena dabit d. Veneris et Saturni h. XII — I, 3) Horatii epistolas interpretabitur d. Martis et Veneris h. XI—XII, *publico* officio 4) in seminario philologico et Phoenissarum Euripidearum enarrationi et reliquis exercitationibus praeerit d. Jovis h. V—VII, d. Saturni h. XI—XII.

Dr. *Guilielmus Seelig* statisticam regni Danici et ducatuum Slesvic., Holsat. et Lauenburg. dieb. Martis, Mercurii et Veneris hora XII, politiam agrariam dieb. Lunae et Jovis h. XII *publice* tradet.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* carmen *der Nibelunge Noth* dictum diebus Lunae, Martis et Mercurii h. III—IV, Taciti Germaniam diebus Jovis et Veneris h. III—IV interpretabitur; *publice* scholas saxonicas et anglosaxonicas habebit.

Dr. *Gustavus F. Thaulow* 1) introductionem in philosophiam atque encyclopaediam scientiarum philosophicarum quaternis horis *privatim* dabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora IX — X, 2) universam historiam artium binis horis *privatim* enarrabit dieb. Lunae et Jovis h. III—IV, 3) rationem, quae est inter paedagogiam atque psychologiam, ethicen et politicen binis horis *privatim* explicabit diebus Martis et Veneris hor. III—IV; *publico* denique officio seminarii paedagogici sodalibus Schleiermacheri et Rosenkranzii opera paedagogica interpretanda proponet reliquasque exercitationes moderabitur.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* jus criminale docebit sexies p. hebd. h. X—XI, *publice* selectas juris civilis partes explicabit ternis p. h. hor. XI—XII.

MEDICINAE.

Dr. *F. Weber* anatomiam pathologicam organorum abdominis, ossium et cutis d. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV *privatim* docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit sectiones et inde exercitationes pathologico-histologicas instituet.

Dr. *P. L. Panum privatim* physiologiam humanam vitae vegetativae, generationis et evolutionis sexies p. h. hora m. IX — X docebit; *publice* colloquia physiologica auditoribus semel p. h. hora posthac definienda offert.

Dr. *G. P. E. Kirchner publice* de fontibus medicatis die Mercurii h. p. VII disseret; *privatim* 1) pharmacologiae partem specialem quater h. m. VIII — IX, bis (die Martis et Veneris) h. m. VIII—X docebit, 2) chemiam pharmaceuticam praemissis chemiae generalis principiis sexies h. p. III—IV tradet.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* d. Sat. h. II—III demonstrationes plantarum in caldariis horti botanici florentium instituet; *privatim* quaternis per hebd. hor. IX—X de plantis medicinalibus disseret. *Privatissimas* scholas de qualibet re herbaria cupientibus offert.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* a) populorum veterum historiam inde a Lycurgo usque ad Corinthi excidium ter per hebdomadem hora IV—V, b) Germaniae historiam usque ad pacem Westphalicam ter per hebd. eadem hora enarrabit. *Publice* exercitationes historicas semel per hebd. die Veneris hora VI—VIII moderabitur.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* anthropologiam ternis p. h. diebus hora IV; *publice* methodum studii academici die Mercurii hora IV; historiam philosophiae naturae die Saturni hora IV.

Chr. K. F. Molbech publice 1) mythologiam Scandinavorum die Mercurii hor. VI—VIII enarrabit; 2) singulis diebus Lunae hora V—VI historiam linguae danicae docebit; 3) exercitationes danicas diebus Lunae, Martis, Jovis hora VI—VII solito more moderabitur; *privatissimas* linguarum danicae, svecicae, islandicae scholas offert.

Dr. *G. D. E. Weyer publice* astronomiam physicam tradet dieb. Lunae et Martis h. VI—VII; *privatim* 1) trigonometriam sphaericam d. Saturni h. X—XI docebit; 2) theoriam sectionum conicarum exponet dieb. Mercurii et Jovis h. VI—VII; 3) calculum differentialem dieb. Veneris et Saturni h. VI—VII; 4) calculum integralem dieb. Martis et Mercurii h. X—XI leget.

Dr. *A. Dillmann privatim* 1) de origine sacrae Veteris Testamenti scripturae, cum universae tum singulorum qui eo continentur librorum, disseret quinquies per hebd. h. IX—X; 2) linguam Judaeorum Aramaeam ex libro Danielis docebit bis per hebd., horis pomerid. posthac definiendis; 3) linguae Sanscritae studiosos in literis Indicis instituere perget bis per hebd.; *publice* 4) linguae Hebraeae studiosis librum Koheleth et Zachariae vaticinia interpretanda proponet singulis diebus Jovis hora vespert. VIII—X.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* 1) aut jus privatum Slesvicense docebit quotidie hora posthac definienda, aut jus criminale quinquies per hebd.; 2) juris encyclopaediam explicabit diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. X—XI.

Dr. *A. Voege* 1) jus publicum Germanicum tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X, bis *publice* et bis *privatim;* 2) jus privatum Holsaticum docebit diebus Martis, Jovis et Saturni h. XII *privatim.* Cupientibus repetitoria et examinatoria offert.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* de organo auditus ejusque morbis bis per hebd. horis disseret.

Dr. *P. Jessen publice* psychiatriam diebus Martis et Veneris h. IX—X docebit.

Dr. *Herm. Schwartz publice* medicinae forensis capita selecta exponet; *privatissime* 1) operationes obstetricias explicabit; 2) de rebus obstetriciis colloquia moderabitur.

Dr. *P. W. Jessen publice* psychiatriam forensem diebus Lunae et Jovis hora X—XI docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* clinicen chirurgicam moderabitur quotidie horis XII—II, chirurgiam docebit quotidie hora VIII—IX, ophthalmologiam docebit quaternis

diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora III—IV; *privatissimum* cursum operationum ophthalmiatricarum offert; *publice* demonstrationes pathologicas histologicas habebit.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *publice* theoriam percussionis et auscultationis docebit; 2) *privatim* de morbis venereis disseret; 3) *privatissime* exercitationes practicas percussionis et auscultationis moderabitur.

Dr. *M. Claudius*, prosector, leget *privatim* de anatomia chirurgica c. h. horis binis posthac defin.; *privatissima* habebit de anatomia c. h.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *P. Buttel* 1) *privatim* calculum differentialem ter per hebd. diebus Lun., Mercurii et Saturni h. II—III docebit, 2) *publice* introductionem in analysin infinitorum bis per hebd. diebus et horis posthac definiendis tractabit.

Dr. *G. H. Handelmann* *privatim* diebus Martis, Jovis, Veneris hora XII—I rerum in Europa a. 1815—1848 gestarum tradet historiam, *publice* diebus Mercurii et Saturni hora V—VI coloniarum in America constitutarum ab Anglia, Gallia, Lusitania defectionem enarrabit.

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae Anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni hora VIII—IX exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissimas* scholas anglicas quotidie habendas offert.

J. A. Schwob-Dollé, linguae franco-gallicae lector, *publice* litteraturam francogallicam docebit et exercitationes franco-gallice scribendi et dicendi instituet.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, practicas in arte equos subigendi exercitationes moderabitur atque per has scholas practicas simul theoreticas de externa forma equorum judicanda habebit.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur; item in armorum tractatione et gymnastica *M. Maack*, in saltatione *M. Wobeser-Rosenhain* operam suam pollicentur.

(L. S.)

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen,

nach den Stunden geordnet.

Winterhalbjahr 1856 — 1857.

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
8—9	*Kirchner*, Pharmacologie. *Esmarch*, Chirurgie.	*Kirchner*, Pharmacologie (8-10). *Esmarch*, Chirurgie.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Esmarch*, Chirurgie. *Lubbren*, engl. Uebungen.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Esmarch*, Chirurgie.	*Kirchner*, Pharmacologie (8-10). *Esmarch*, Chirurgie.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Esmarch*, Chirurgie. *Lubbren*, engl Uebungen.
9—10	*Behn*, anat. Ueb (9—1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Path. u. Ther. 2r Thl. *Chalybäus*, Log.u.Metaph. *Thaulow*, Einl. in d. Philos. u. philos. Encyclop. *Nolte*, Med. Pflanzen. *Panum*, Physiologie. *Dillmann*, Einl. in d. A. T.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec.Pathol.u.Ther. 2r Thl. *Chalybäus*, Log.u.Metaph. *Thaulow*, Einl. in d. Philos u. philos. Encyclop. *Nolte*, Med. Pflanzen. *Panum*, Physiologie. *Dillmann*, Einl. in d. A. T. *Jessen* sen., Psychiatrie.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Götz*, spec. Pathol. u. Ther. 2r Thl. *Panum*, Physiologie.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Pathol. u. Ther. 2r Thl. *Chalybäus*, Log. u. Metaph. *Thaulow*, Einl. in d. Philos. u. philos. Encyclop. *Nolte*, Med. Pflanzen. *Panum*, Physiologie. *Dillmann*, Einl. in d. A. T.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Pathol. u. Ther. 2r Thl. *Chalybäus*, Log. u. Metaph. *Thaulow*, Einl. in d. Philos. u. philos. Encyclop. *Nolte*, Med. Pflanzen. *Panum*, Physiologie. *Dillmann*, Einl. in d. A. T. *Jessen* sen., Psychiatrie.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Götz*, spec. Pathol. u. Ther. 2r Thl. *Panum*, Physiologie. *Dillmann*, Einl. in d. A. T.
10—11	*Wieseler*, Psalmen. *Girtanner*, Pandect. mit Ausn d. Erbr. (10-11). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, Demosth. für die Krone. *Himly*, theoret. Chemie. *Christiansen*, Criminalr. *Friedlieb*, jur. Encyclop. *Vöge*, deutches Staatsr. *Jessen* jun., ger. Psychiatr.	*Wieseler*, Psalmen. *Girtanner*, Pandect. mit Ausn. d. Erbr. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, Demosth. für die Krone. *Himly*, theoret. Chemie. *Christiansen*, Criminalr. *Weyer*, Integralrechn. *Vöge*, deutsches Staatsr.	*Lüdemann*, catechet. Sem. (12-2). *Girtanner*, Pandect. mit Ausn. d. Erbr. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theoret. Chemie. *Christiansen*, Criminalr. *Weyer*, Integralrechn. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Lüdemann*, homil. Sem. (10-12). *Wieseler*, Psalmen. *Girtanner*, Pandect. mit Ausn. d. Erbr. (10-12). *Götz*, med. Klin (10-12). *Forchhammer*, Demosth. für die Krone. *Himly*, theoret. Chemie. *Christiansen*, Criminalr. *Vöge*, deutsches Privatr. *Jessen* jun., ger. Psychiatr.	*Wieseler*, Psalmen. *Girtanner*, Pandect. mit Ausn. d. Erbr. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, Demosth. für die Krone. *Himly*, theoret. Chemie. *Christiansen*, Criminalr. *Vöge*, deutsches Privatr.	*Girtanner*, Pandect. mit Ausn. d. Erbr. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Christiansen*, Criminalr. *Weyer*, sphär. Trigonom. *Friedlieb*, jur. Encyclop.
11—12	*Thomsen*, Kirchengesch. *Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1). *Forchhammer*, Aristoteles.	*Thomsen*, Kirchengesch. *Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1).	*Thomsen*, Kirchengesch. *Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1). *Forchhammer*, philol. Sem. *Himly*, analyt. Chemie.	*Thomsen*, Kirchengesch. *Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1).	*Thomsen*, Kirchengesch. *Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1).	*Planck*, Civilprocess. *Neuner*, Instit. u. Gesch. d. röm. Rechts. (11-1). *Himly*, analyt. Chemie.

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
12—1	*Wieseler*, Römerbrief. *Planck*, Criminalprocess. *Forchhammer*, Aristoteles. *Himly*, pract. chem. Ueb. (12-2). *Karsten*, Mineralogie u. Crystallographie. *Seelig*, Agrar-Politik. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2).	*Wieseler*, Römerbrief. *Himly*, pract. chem. Ueb. (12-2). *Karsten*, Mineralogie u. Crystallographie. *Seelig*, Statistik d. Königr. u. der Herzogth. *Vöge*, Holst. Privatrecht. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2). *Handelmann*, Geschichte Europa's 1815-48.	*Fricke*, Wesen d. Protest. *Forchhammer*, philol. Sem. *Himly*, pract. chem. Ueb. (12-2). *Karsten*, Mineralogie u. Crystallographie. *Seelig*, Statistik d. Königr. u. der Herzogth. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2).	*Wieseler*, Römerbrief. *Planck*, Criminalprocess. *Himly*, pract. chem. Ueb. (12-2). *Karsten*, Mineralogie u. Crystallographie. *Seelig*, Agrar-Politik. *Vöge*, Holst. Privatrecht. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2). *Handelmann*, Geschichte Europa's 1815-48.	*Wieseler*, Römerbrief. *Himly*, pract. chem. Ueb. (12-2). *Karsten*, Mineralogie u. Crystallographie. *Seelig*, Statistik d. Königr. u. der Herzogth. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2). *Handelmann*, Geschichte Europa's 1815-48.	*Fricke*, Wesen d. Protest. *Planck*, Civilprocess. *Vöge*, Holst. Privatrecht. *Esmarch*, chir. Kl. (12-2).
2—3	*Behn*, Anatomie. *Buttel*, Differentialrechn.	*Behn*, Anatomie.	*Behn*, Anatomie. *Buttel*, Differentialrechn.	*Behn*, Anatomie.	*Behn*, Anatomie.	*Behn*, Anatomie. *Nolte*, bot. Demonstrat. *Buttel*, Differentialrechn.
3—4	*Thomsen*, Religionsphilos. *Litzmann*, Theorie der Geburtsh. 1r Thl. *Müllenhoff*, Nibelungen. *Thaulow*, Kunstgesch. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Esmarch*, Ophthalmolog.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Litzmann*, Theorie der Geburtsh. 1r Thl. *Müllenhoff*, Nibelungen. *Thaulow*, Pädagogik. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Esmarch*, Ophthalmolog.	*Müllenhoff*, Nibelungen. *Kirchner*, pharm. Chemie.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Litzmann*, Theorie der Geburtsh. 1r Thl. *Müllenhoff*, Germania. *Thaulow*, Kunstgesch. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Esmarch*, Ophthalmolog.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Litzmann*, Theorie der Geburtsh. 1r Thl. *Müllenhoff*, Germania. *Thaulow*, Pädagogik. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Esmarch*, Ophthalmolog.	*Müllenhoff*, deutsche Ueb. *Kirchner*, pharm. Chemie.
4—5	*Chalybäus*, Gesch. der alten Philos. *Weber*, pathol. Anatomie. *Harms*, Anthropologie. *Nitzsch*, deutsche Gesch.	*Chalybäus*, Gesch. der alten Philos. *Weber*, pathol Anatomie. *Harms*, Anthropologie. *Nitzsch*, deutsche Gesch.	*Harms*, Hodegetik. *Nitzsch*, alte Geschichte.	*Chalybäus*, Gesch. der alten Philos. *Weber*, pathol. Anatomie. *Harms*, Anthropologie. *Nitzsch*, deutsche Gesch.	*Chalybäus*, Gesch. der alten Philos. *Weber*, pathol. Anatomie. *Harms*, Anthropologie. *Nitzsch*, alte Geschichte.	*Harms*, Geschichte der Naturphilosophie. *Nitzsch*, alte Geschichte.
5—6	*Fricke*, Leben Jesu nach den 4 Evangelien. *Karsten*, Experim. Phys. *Molbech*, Gesch. d. dän. Sprache.	*Fricke*, Leben Jesu nach den 4 Evangelien. *Karsten*, Experim. Phys.	*Karsten*, Experim. Phys. *Handelmann*, amerikan. Geschichte.	*Fricke*, Leben Jesu nach den 4 Evangelien. *Karsten*, Experim. Phys.	*Fricke*, Leben Jesu nach den 4 Evangelien. *Karsten*, Experim. Phys.	*Karsten*, Experim. Phys. *Handelmann*, amerikan. Geschichte.
6—7	*Fricke*, Dogmat. 2r Thl. *Molbech*, Uebungen im Dänischen. *Weyer*, phys. Astronom.	*Fricke*, Dogmat. 2r Thl. *Molbech*, Uebungen im Dänischen. *Weyer*, phys. Astronom.	*Molbech*, scandin. Mythol. *Weyer*, Theorie der Kegelschnitte.	*Fricke*, Dogmat. 2r Thl. *Molbech*, Uebungen im Dänischen. *Weyer*, Theorie der Kegelschnitte.	*Fricke*, Dogmat. 2r Thl. *Nitzsch*, histor. Uebungen (6-8). *Weyer*, Differentialrechn.	*Weyer*, Differentialrechn.

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
7—8			*Kirchner*, Heilquellen. (7-9).			
8—10	*Thaulow*, pädagog. Sem.		*Lubbren*, Uebungen im Engl. (8-9).	*Dillmann*, hebr. exeget. Uebungen (8-10).		*Lubbren*, Uebungen im Engl. (8-9).

An später zu bestimmenden Tagen und Stunden:

Lüdemann, christl. Ethik von 4—5. *Ratjen*, jurist. Literärgeschichte, Montags u. Donnerstags. *Karsten*, physikal. Colloquia. *Chalybäus*, Logik u. Metaphysik, von 9—10; Geschichte der alten Philosophie, von 4—5. *Molbech*, dänische, schwedische u. isländische Sprache. *Dillmann*, Sanskrit; Aremäisch. *Friedlieb*, entweder Schleswigsches Privatrecht oder Criminalrecht. *Bartels*, 1) Theorie der Percussion u. Auscultation; 2) vener. Krankh.; 3) pract. Uebungen der Percussion u. Auscultation. *Buttel*, Einleitung in die Analysis des Unendlichen. *Schwob-Dollé*, französ. Literatur u. Uebungen.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XV. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEFATUS EST GEORGIUS CURTIUS. DE ANOMALIAE CUIUSDAM GRAECAE ANALOGIA.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Quae inter veteres grammaticos diu multumque agitata est de analogia et anomalia controversia, eam nostro tempore nemo ita renovabit, ut in universo hominum sermone utra dominetur, denuo quaerendum esse existumet. Quis enim dubitabit, quin in hoc non minus quam in omnibus quae rerum natura procreat ratio valeat et aequabilitas? Verum longius etiamnunc distamus ab ea disciplinae grammaticae perfectione, qua fortasse sperari potest fore aliquando, ut pauca anomaliae vestigia remaneant. Quae nunc est vel earum linguarum, in quibus explorandis plurimum operae positum est, cognitio, multa restant ab inventis sermonis legibus ita excepta, ut causam exceptionis non assequamur, immo in ea, quam Quintilianus grammaticis commendat, quarundam rerum ignoratione nobis acquiescendum sit. Sed cum nihil sciamus tam difficile esse, quin quaerendo investigari possit, summo labore contendendum erit, ut, Anomalia, invisa Inscitiae filia, fortiter impugnata, Analogiae et quae eam generavit Veritatis regnum magis magisque augeatur. Quo in studio non uno semper conatu eo perveniemus, ut ipsam Analogiae speciem nullo velo obductam intueamur, sed interdum jam aliquid effecisse nobis videbimur, si vel in Anomaliae partibus umbram quandam aequabitatis et imaginem repercussam conspexerimus. Hoc autem quem in modum origine verborum explorata fieri possit, exemplo ex graecae grammaticae penetralibus desumpto illustrabimus.

Notissimum est geminatae litterae σ loco Boeotis una cum recentioribus Atticis geminatam τ in usu fuisse, ita ut utrique non ἀλλάσσω sed ἀλλάττω dicerent pro eo autem qui in reliquorum Graecorum dialectis audiebatur litterae ζ sono, in interiore voce posito, solos Boeotos geminata δ usos esse. Non enim ψηφίζω sed ψαφίδδω dicebant. Inde facile intellegitur, eandem inter σσ et ττ, quae fuit inter ζ et δδ, ratio-

nem intercessisse. Ac valet haec ratio per magnum numerum exemplorum, ut sibilans illa geminata ex tenui vel aspirata, mollior autem ζ litterae sibilus ex media littera originem ducat. Comparativi enim qui sunt ἥσσων, ἐλάσσων, κρείσσων superlativis ἥκιστα, ἐλάχιστος, κράτιστος, μείζων vero et ὀλίζων μέγιστος et ὀλίγιστος formis respondent. Θρῆσσα, Φοίνισσα, Κρῆσσα ex iis deducuntur stirpibus, quae in Θρηκός, Φοίνικος, Κρητός conspiciuntur, verborumque φρίσσω, βήσσω, λίσσομαι radices sunt φρικ, βηχ, λιτ, eorum autem quae sunt κράζω et ὄζω κραγ et ὀδ. Quae omnia in libro de temporibus modisque scripto pluribus exposui. Ab hac vero lege, ut ex tenui littera et adspirata σσ, ex media ζ fiat, e comparativorum numero unus exceptus esse videtur, qui legitur uno Iliadis loco K 226

μοῦνος δ' εἴ πέρ τε νοήσῃ
ἀλλά τέ οἱ βράσσων τε νόος λεπτὴ δέ τε μῆτις.

Hanc enim formam veteres quidem glossographos a βραχύς derivasse, Aristarchum pro participio habuisse ex scholiis Venetis constat, nostri autem temporis grammatici fere omnes scholiorum minorum auctoritatem secuti ad positivum βραδύς pertinere existimarunt. Quibus quamquam olim adstipulatus sum tamen nunc fidem habere non possum. Primum enim est hoc aliquid, quod secundum scholiastam Venetum certe — nam paulo aliter Eustathius — vetusti illi glossarum interpretes βράσσων a βραχύς deduxerunt. Aristarchus autem ab his propterea tantum recessit, quod οὐδαμοῦ κέχρηται τούτῳ [τῷ βραχύς] Ὅμηρος. Nam ut universa Homeri carmina ad unam loquendi normam dirigebat, ita hoc nullo modo fieri posse putavit, ut hujus generis adjectivum, apud posteriores Graecos usitatissimum, in Homero semel legeretur. Qui si βράσσων ad βραδύς pertinere posse existimavisset Homero frequentatum, hanc explicationem haud dubie arripuisset. At non existimavit eamque ob causam ad eam sententiam confugit, ut βράσσων participium esse et βρασσόμενος ταρασσόμενος διὰ τὸ δέος significare diceret, quamquam ἅπαξ ἐνταῦθα κέχρηται τῇ λέξει. Nam audacior hujusmodi verbi usus facilius ei videbatur poetae uno in loco concedi posse. Nos vero aliter judicabimus et cum glossographis βράσσων ex βραχύς ut ἐλάσσων ab ἐλαχύς factum esse censebimus. Innumera enim cum apud Homerum inveniantur ἅπαξ εἰρημένα, in ea praecipue rhapsodia quam Pisistrati demum temporibus in reliquorum numerum receptam esse comperimus, non mirum est inveniri adjectivum, quod quin jam antiquissimo tempore exstiterit, propter Romanorum brevi-s (i. e. breg-u-i-s) dubium non

est. Ad sententiam autem hoc non minus accommodatum est, quam illud. Duo enim viri et celerius quid faciendum sit videbunt et consideratius quae facienda sunt exsequentur, unius ingenium et tardius erit et minus circumspectum. Eum autem qui minus considerate agit posteriores Graeci βραχυγνώμονα dicunt et βραχύτητα γνώμης Cleon apud Thucydidem III 42 contrarium esse censet τῆς εὐβουλίας.

Remoto igitur hoc vocabulo, quod falsam σσ litterarum ex δ ortarum speciem praebebat, manet haud parvus verborum numerus, in quibus eaedem ex gutturali quae vocatur media originem duxisse videntur. Perlustrantibus enim in copiosissimo, quod Lobeckio debemus, Rhematico verborum dentalium indicem, satis multa ocurrunt praesentia in -σσω exeuntia, quorum ut antiquorum grammaticorum vocabulo utar, character est littera γ. Sunt autem haec, primitiva ἄσσω (κατάσσω), μάσσω, ὀρύσσω, πήσσω πλήσσω, πράσσω, ῥήσσω, σάττω, σφάττω, τάσσω, φράσσω, φρύσσω, derivata ἀλλάσσω, μαράσσω, μαρμαρύσσω, πλατάσσω, πτερύσσω, σαλάσσω. Nam quod olim (Tempora u. Modi p. 103), Pottium secutus, propter latinum mungo huc pertinere putavi ἀπο-μύσσω, hoc non cum sanscrito *mug'*, de cujus usu non satis constat, sed cum *muk'* radice, quae solvendi, abjicendi, effundendi significationem frequentissimo usu illustratam habet, comparandum esse, vocabulum quod est μῦκος et Romanorum mûcus, mûcor, mûceo, mûcedo demonstrant. Quare primitiva radicis forma non *mug* fuit, sed *muk*, cujus gutturalem Romani eadem ratione molliorem fecerunt, qua ex ea quae antiquissimo tempore fuit radice *pik*, in Graecorum ποικιλος servata, pingendi verbum deduxerunt. Ex iis autem quae enumeravimus exemplis primum ea tractemus, quorum origo facillime indagari potest. Nam φράσσω quidem a latino *farcio* diversum non esse vel ii Lobeckio (Rhemat. p. 1803) credent, qui complures linguas comparantibus diffidere consuerunt. Itaque Romanos vetustiorem sonum conservasse, Lucianum autem aliosque scriptores non admodum vetustos (Lob. ad Buttm. II, 319) apud quos ἐφράγην invenitur, mediam pro tenui substituisse censebimus, praesentis formam φράσσω eodem modo ex antiquiore φρακ factam esse dicemus, quo φρίσσω ex φρικ ortum est. — μάσσω, quamquam jam in Platonis Theaeteto ἐμάγην legitur et substantiva μαγεύς μάγειρος, μᾶζα ab eodem μαγ derivanda sint, tamen plenior sonus auditur in μακαρία, βρῶμα ἐκ ζωμοῦ καὶ ἀλφίτων (Hesych.). A quo mâcerandi et mâcerescendi verba non longe absunt, quae in pane emolliendo et in salsamentis parandis proprium usum habent. Denique Lituani antiquorum verborum sonorumque tenacissimi, servarunt *mink-au*,

mank-szt-au, verba quorum illud idem significat quod graecum μάσσω, sive id quod nos dicimus *kneten*, hoc magis generalem molliendi notionem habet. Quamobrem non dubito, quin antiquissimo tempore jam exstiterit radix *mak*, in opere pistorio usitata nec quin Graecorum μάσσω ejusdem originis sit. Transimus ad πλήσσω. πέπληγον, ἐπλήγην, πληγή, aeolicum πλάζω, percutiendi verbum, et alterum illud πλάζω ἐπλάγχθην, ἀπεπλάγχθην, de quo in Philologi Vol. III, p. 2 egi, Romanorumque *plango* manifestissima γ litterae vestigia praebent (cf. Lob. Prolegg. p. 237). Sed κ conspicitur in vocabulo πλάξ πλακός et in iis quae inde nata sunt πλακερός, πλάκινος, πλακόω, πλακοῦς. Haec omnia ea significant quae plana sunt eamque ob causam proxime absunt a Romanorum *planca* (tabula plana), *plancus* (πλατύπους) et, in quo Jacobum Grimmium sequimur, ab adjectivo *plâ-nu-s* ex *plac-nu-s* mutato. Idem in sermonis Germanici historia (I. 347) veterum Germanorum flah comparat et Lituanorum *plasztaka* palmam manus significans, quorum utrumque indicat vetustissimam aliquam radicem *plak* exstitisse. Ab ea Lituani derivarunt adjectivum prorsus ejusdem quam latinum planus habet significatus *plokssztas*, cujus vocalem et sibilum Schleicherus in grammatica Lituanica explicavit (p. 46); ea inest in ejusdem sermonis verbis *plak-ti* (percutere) et *plekti* (verberare) et in substantivis *plek-is*, *plok-is*, *plak-a*, quae nihil aliud significant quam Graecorum πληγή, Romanorum plâga, nec separari possunt a majorum nostrorum flagelli nomine *flegila*. Itaque cum haec ad antiquissimam *plak* radicem, omnibus his gentibus priusquam in sedes suas discesserunt communem, probandam sufficiant, Graecorum πλήσσω non ex molliore quae postea invaluit forma sed ex pleniore deducemus. — Simili modo dicendum erit de verbo πράσσω. γ littera legitur in πέπραγα, πρᾶγος. Propter productam vocalem Lobeckius (Paralipp. 401) veteribus grammaticis assentitur, πράσσω a περάω derivantibus, ipse autem breviorem formam in ionico πιπρήσκειν πρῆσις et in eo quod apud Hesychium servatur ἔπρασεν ἐπραγματεύσατο subesse suspicatur. Ac comprobatur haec conjectura linguae sanscritae comparatione, in qua duplex radix *pṛ* invenitur, altera correpta atque ex *păr* orta, quae Westergaardio teste occupatum esse significat, altera producta et ex antiquiore *pâr* facta, quae eodem auctore negotii transigendi notionem habet. Utrumque non graecorum tantum de quibus diximus verborum sed etiam latini *parare* nos commonefacit. Jam vero *k* litteram brevioribus stirpibus haud raro ita additam videmus, ut ejus ope longiores inde formae deducantur. Qua de re cum aliis locis et dixerim et dicturus

sim, pauca exempla sufficient: *ὤλε-σα* et *ὀλέ-κ-οντο κατα-πτή-την* et *ἔ-πτα-κ-ον*, *ἐρύ-ω* et *ἐρύκ-ω*. Neque ad graecum tantum sermonem hoc pertinet, sed idem additamentum in reliquis conspicitur. Quare cum apud Lituanos exstet verbum *perk-u*, idem quod *πι-πρά-σκ-ω* significans *) hujus simile *πρα-κ* ex antiquiore *πρα* derivatum, inde praesentis formam *πράσσω* formatam, postea *κ* litterae sonum in *γ* mollitum esse conjicio.

In duobus verbis ipsa Graecorum lingua sibi non constitit. Nam a praesenti *σάττω* nec *σάκος* nec *σάγη* abest, quare nihil obstat, quo minus ab ea radice ortum esse dicamus, quae in priori inest. — *ὀρύσσω* utrum primitivum sit, an, ut Lobeckius voluit, derivatum, nondum exploratum est. Sed *χ* litteram in genetivo *διώρυχος* et in vocabulo *διωρυχή* antiquiorem esse quam eam quae postea usu venit *γ*, et in Aristophanis Avium v. 394 *κατορυχησόμεσθα*, non *κατορυγησόμεσθα* scribendum esse inter viros doctos convenit.

Aliorum usus non admodum antiquus est. Verbum *τάσσω* in Homeri carminibus, in quibus non deerat eo utendi occasio, non legitur, et ex iis quae ejusdem originis sunt nominibus unum *ταγός* correpta contra tragicorum morem paenultima in uno Iliadis versu (Ψ 160); in quo Aristarchi et Herodiani judicio rejecto nostri temporis editores *οἵ τ' ἀγοί* receperunt, *ἄσσω* et *πήσσω* non ante Augustum imperatorem inveniuntur pro *ἄγνυμι*, *πήγνυμι*, posita, *ῥήσσω* pro *ῥήγνυμι* dicti Lobeckius (ad Buttm. II. 287) Hippocratem antiquissimum auctorem affert, cujus crisis quam lubrica sit non ignoratur, *φρύσσω* vel *φρύττω*, quod olim in Theocriteis legebatur, novissimi editores inde excludunt, Lobeckius minus quam *φρύγω* atticum esse censet. Et hoc quidem mediam litteram nativam habere Indorum *bharg'*, Latinorum *frig-ĕre* documento sunt, quibus quamquam diversis vocalibus usi eandem rem significant. — *σφάττω*, in prosa Atticorum oratione inde a Platonis tempore usitatius est quam *σφάζω*, in quo utriusque syllabae sibilus atticis displicuisse videtur. Antiquiores hoc minime repudiant; et optime congruit cum *σφαγεύς*, *σφαγή*, *ἐσφάγην*, aliis. Ceterum si Kuhnium sequeremur hoc verbum cum Gothorum *slah-an* comparantem (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* IV, 18) etiam in hoc tenuis antiquior esset quam media. Sed mihi quidem hac de re nondum constat.

---

*) Bohemorum práce, negotium, labor, prácovati negotium facessere, utrum ad breviorem stirpem, qnae est *pra*, an ad *prak* pertineat, iis dijudicandum relinquo, qui slavicarum dialectorum me peritiores sunt.

Transimus ad ea quae quin ex nominibus derivata sint dubitari non potest. In his primum occurrit ἀλλάσσω, quod Lobeckius (Rhemat. 240) unum omnium paronymorum ab adjectivo oriundum esse dicit. γ littera ab Atticorum inde temporibus conspicimus in ἠλλάγην, ἀλλαγήσομαι, ἀλλαγή et in magno compositorum numero. Verum etiam hac tenuem antiquiorem fuisse conjicio. Eadem enim *k* littera, cujus ope a brevioribus radicibus novas stirpes propagari vidimus, in syllaba *ka* invenitur, qua in nominibus, adjectivis praecipue, derivandis omnes quae ad Indogermanorum familiam pertinent gentes saepissime utuntur. Huc referendum est illud κό-ς apud Graecos frequentissimum, quod in multis adjectivis ab adjectivis derivatis occurrit, qualia Lobeckius collegit in Pathologiae Prolegg. p. 327 et ad Phrynichum p. 228. Exemplo erunt βαρβαρ-ι-κό-ς a βάρβαρος, ἀρχα-ι-κό-ς ab ἀρχαῖος, Κορινθι-α-κό-ς a Κορίνθιος propagatum. Nec in cognatis linguis desunt quae comparentur. Ab eo adjectivo, quod graeco ἄλλος, latino alius respondet, *anja-s*, Indi *anja-ka-s* derivant, cujus in antiquissimis hymnis Vedicis usum a primitivi *anja-s* significatione fere non diversum, Petropolitani lexici auctores demonstrant. Inde analogia duce pervenimus ad obsoletum Graecorum adjectivum ἀλια-κο-ς sive ἀλλακο-ς, ab hoc rursus ad verbum ἀλλάσσω eadem ratione formatum qua φαρμάσσω ab eo quod est φάρμακον. In quo paenultimae syllabae alpha non negligendum esse videtur. Late enim patet haec linguae graecae analogia, ut in nominibus derivatis alpha post ι vocalem conservetur. Nam ab ἰατρό-ς derivatur ἰατρ-ι-κό-ς, a Κρόνο-ς Κρον-ί-δη-ς a μανία autem μανι-α-κό-ς, a ζώδιο-ν ζῳδι-α-κό-ς, a Ταλθύβιο-ς Ταλθυβι-ά-δη-ς. Quare etiam in ἀλλάσσω quoddam ejus litterae vestigium remansisse videtur quam in illo ἀλια-κό-ς suum locum habuisse comparato vocabulo sanscrito manifestum fit. — σαλάσσω apud ipsos Graecos non modo σαλαγέω, sed etiam σάλαξ σάλακος et σαλάκων affinia habet. — De reliquorum origine nihil certi habeo quod proponam, sed pauca restant, in quibus quin eadem sibili ex *k* paragogico origo fuerit, equidem non dubito.

Quamobrem majore jam confidentia in universo hoc verborum genere γ litteram non genuinam esse et per totam linguam Graecam hanc legem valere contendimus, ut σσ non ex aliis litteris oriatur, quam ex κ, χ, τ, ϑ. Itaque praesentia φράσσω, μάσσω, πλήσσω, πράσσω, ἀλλάσσω, jam eo tempore formata esse dicemus quo κ in horum verborum radice audiebatur, nec aliter orta esse, quam φρίσσω ex eo quod fuit φρικ. Postea in quibusdam plenioris in locum mollior mediae litterae sonus suc-

cessit, ibi praecipue ubi medium inter duas vocales locum tenebat, ut in ἐφράγην, πληγή. Confusa semel et perturbata pristina linguae analogia contagio ad alias quoque formas ita pertinuit, ut contra justam normam γ a geminato σ fere non longius quam κ vel χ abesse videretur.

Ceterum non in iis tantum quae a nobis tractata sunt verbis, sed etiam in aliis haud paucis eadem κ litterae in γ mutatio facta est. Nam qui Graecorum μίσγω, ἐμίγην cum Romanorum *misceo* et Indorum ejusdem significationis verbo *miçrajâmi*, i. e. *mikra-jâ-mi* comparat, quin μιγ ex μικ factum sit, non dubitabit. πήγ-νυ-μι, ἐ-πάγην, πάγ-ο-ς nec a *pan-go pe-pig-i* separari potest, nec ab eo, quod antiquos pro pactione usurpasse Festus (p. 250) tradit, *pac-io.* Eadem igitur radix est atque in sanscrito *paç* i. e. *pak*, quae ligare significat et in majorum nostrorum *fah-an*, cujus significatio proxime ad eam accedit quae est in Graecorum πάγη. ὀλίγο-ς recte cum sanscrito *liç* i. e. *lik* eoque comparatur quod inde deducitur *lêça-s* i. e. *laika-s* (parvus). ὄρτυξ quamquam in genetivo casu ὄρτυγος habet tamen diversum non est ab Indorum ejusdem avis nomine *vartikâ.* ἅρπαξ ἅρπαγος si a Romanorum rapax rapacis proprie diversum non fuisse statuimus, nemo nos nimiae audaciae arguet. Denique in ipsorum Graecorum sermone quis negabit ἀρήγω et ἀρωγή cum ἀρκέω et ἀλκή latinoque arcendi verbo cognatum esse, vel τήγανον a τήκω derivari? Democritum Abderitam διαθηγήν pro vulgari διαθήκην dixisse Lobeckius (ad Buttm. II. 401) Suidae et Hesychio credit, quamquam de hoc verbo alii aliter judicarunt. Quae exempla non ideo congessi, ut imperitorum hominum more nihil fere inter tenuem et mediam interesse et utriusque usum plane promiscuum fuisse statuerem. A nulla enim opinione longius absum. Immo si quis haec exempla perlustrabit, in omnibus fere κ aut medium inter duas vocales locum tenere aut prope nasalem litteram poni inveniet. Unum excipitur μίσγω, in quo γ aoristo μιγῆναι deberi videtur, sed huic affinis est altera praesentis forma μίγνυμι. Quare etiam in hac anomalia quandam analogiam deteximus.

1857. III.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE HIBERNUM

A DIE INDE XV. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLVII

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVIII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEFATUS EST GEORGIUS CURTIUS DE AORISTI LATINI RELIQUIIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

In linguarum originibus indagandis cum vel acutissimi viri usque ad nostri saeculi initium prorsus a vero aberraverint, Germanorum imprimis hominum ingenio et industria nunc demum effectum est, ut quae sit sermonis humani natura, quae gentibus ad imperium orbis terrarum destinatis in verbis verborumque formis antiquitus communia fuerint, aliquanto nobis accuratius cognovisse videamur. Quare nemo nunc erit paulo eruditior, qui formas sermonis grammaticas hominum acumine et cogitandi subtilitate paulatim inventas esse putaverit. Omnes concedunt temporibus ab omni hominum memoria remotis ex ingenio humano, quasi ex agro inculto quidem sed sua natura fertilissimo, uberrimam verborum dicendique formarum copiam naturali quadam vi esse progenitam, quae cum per longam saeculorum seriem accurate conservata esset, aetate longe posteriore eum usum invenerit, quem in Graecorum maxime Romanorumque scriptis admiramur. Quae cum ita sint, formas grammaticas, quibus Graeci Romanique magis quam nos abundant, Graeci rursus Romanis praestant, non ab his fictas et excogitatas, sed servatas atque ad certam utendi normam directas esse censebimus. Itaque quae olim solius Graecorum sermonis propriae esse videbantur, dualis, optativi, aoristi formae, earum vestigia jam non tantum apud Indos, sed etiam apud alias ejusdem originis gentes inventa sunt. Nam ut optativum praeteream, qui nulli earum de quibus dico linguarum prorsus deest, aoristo Graecorum quae respondeant, et in lingua sanscrita et in vetustissima Slavonum dialecto reperiuntur, et a quibusdam vel in Germanorum sermone antiquiore remansisse putantur. Jam vero cum plane exploratum sit Italicarum gentium proavos longe diutius cum Graecorum, quam cum aliarum nationum majoribus vitae sermonisque communione fuisse conjunctos, mirandum fere esset, nisi quaedam certe etiam in Italorum linguis servarentur vestigia earum formarum, quas grammatici graeci communi aoristorum nomine comprehendere solent.

Nec defuerunt, qui linguae latinae aoristum vindicarent. Sagacissimus enim ille vir, qui totam hanc comparandarum linguarum rationem primus constituit, Boppius et qui eum secuti sunt Benaryus, Aufrechtius, alii, perfecti latini formas aut omnes aut quasdam aoristis graecis respondere existimant. Cui opinioni quid et in formis perfecti latini et in earum usu obstet, cum in censura grammaticae comparativae Boppianae *(Zeitschr. f. d. Alterthumsw.* 1843 *p.* 876*)* et in libro de graeci latinique verbi temporibus et modis edito pluribus exposuerim, ad hanc quidem quaestionem vel propterea non rediturus sum, quod et complures viros doctos mihi assentientes inveni et nuperrime eum, qui meus eorumque qui in Austria me audiverunt acerrimus censor exstitit, Ludovicum Langium *(Zeitschr. f. d. österr. Gymn.* 1857 *p.* 149*)*. Cum hoc igitur viro doctissimo idem nunc probo quod annis abhinc quattuordecim proposui, perfectorum latinorum genera omnia, nullo excepto, cum Graecorum, Indorum, Germanorum perfectis, non cum aoristis esse comparanda.

Verum alibi, ni fallor, quaerenda sunt quae in Romanorum sermone cum aoristis graecis possint conferri. In quo num fortasse formae resederint eorum aoristorum similes qui cum primi vocari soleant rectius compositi vel sigmatici dicuntur, nunc omittam, ea tantum curabo, quae ad alterum aoristi genus, simplex illud et antiquius eorum qui secundi audiunt, pertinere videantur. Hujus generis proprium est, ut aoristi formae non peculiari aliqua temporis nota ab iis differant quae praesentis vel imperfecti sunt, sed ea ipsa re, quod additamentis illis carent, quibusa ucta multorum verborum praesentia et imperfecta quoddam pondus et majorem gravitatem ad durantis actionis vim accommodatissimam in se recipiunt. Ita enim inter se distingui *φύγω* et *φεύγω*, *τέκοι* et *τίκτοι*, *βάλλειν* et *βαλεῖν*, *γιγνώσκων* et *γνούς*, *ἐλάμβανε* et *ἔλαβε* non est quod exponam. Jam vero apud Latinos in quibusdam verbis simile inter breviores formas et magis productas invenitur discrimen. Compertum est apud vetustiores Romanos *pagunt*, *tagit*, *attigat* in usu fuisse. Quorum ratio non haec est, ut antiquiore tempore eae formae quae littera nasali carent solae usurpatae fuerint, postea ampliores, quae sunt *pangunt*, *tangit*, *attingat*, in breviorum locum successerint. Nam Attius poeta v. 231 (Ribbeck) dicit

Egone Argivum imperium *attingam?*

idem v. 304

Age, age, amolire, amitte, cave vestem *attigas*,

Plautus Mercat. v. 32

quae nihil *attingunt* ad rem, nec sunt usui,

idem Mostellar. v. 468

. . . Aedis ne *attigatis*, tangite

et Bacch. 445, Trucul. II 2, 21, Epid. V 2, 58, Turpilius v. 106 *ne attigas.* Nec quisquam harum rerum paulo peritior in mentem inducat, formam ampliorem tum demum natam esse, cum jam ‚Musa pinnato gradu' bellicosam in Romuli gentem feram se intulisset, cum satis constet similis nasalis additamento apud Indos Graecosque praesentis formas ab iis distingui quae ex ipsa radice pullulaverint. Itaque quoniam eodem tempore et apud eosdem scriptores utriusque generis formas invenimus, fere cogimur ut *attingam* cum Graecorum *προσθιγγάνω*, Attianum autem illud et Plautinum *attigas* cum graeco *προσθίγῃς* comparemus. Simplex verbum sine nasali littera legitur in duobus Pacuvii versibus

v. 165 at non cernam, nisi *tagam*

v. 344 ut ego, si quisquam me *tagit*

quorum posterior demonstrat, etiam indicativum *tago* in usu fuisse, qui cui ex graeca lingua comparetur, non habet. Ejus prima persona in Turpilii comici fragmento (v. 131) a Ribbeckio recepta est

Erum, si forte, quasi alias, vini *tago*

quod quomodo scribatur et explicetur non satis exploratum est. Ejusdem est generis quod in vetusta legis formula liber II ad Herennium c. 13 servavit: rem ubi *pagunt.* Ad aliam verborum classem pertinet *gigno*, quod quin ex *gi-gen-o* ortum sit prorsus eodem modo quo graecum *γί-γν-ο-μαι* ex *γι-γεν-ο-μαι* dubium non est. Itaque vetusta forma, quae est *gen-ere* eodem jure cum graeco *γενέσθαι*, quo *gign-ere* cum *γίγνεσθαι* comparari potest. Quamquam in usu breviorum formarum (Varro ap. Prisc. p. 499 Kr., Lucret. III 795, Varro r. r. II 6, 3) nihil est quod a longioribus alienum sit, nisi quod *genitur* saepius in testamentorum formulis de futuro tempora dicitur: ‚si mihi filius *genitur*' (Cic. de Orat. II 32, 141, de Invent. II 42, 122). — Praeterea ut apud Graecos haud pauca verba inveniuntur, in quibus varia tempora non e stirpibus litterularum quarundam defectu vel additamento inter se distinctis, sed e radicibus prorsus diversis propagata sunt, ita apud Romanos quaedam certe verba exstant, quorum tempora non ex uno eodemque fonte manarunt. In quibus prae ceteris *fero* et *sum* notanda sunt. Non enim casu factum esse putabimus, ut in utraque lingua, ex ea radice quae praesenti *fero* subest, praesentis tantum et quae cum hoc artissime cohaerent formae originem ducerent. Earum apud Romanos etiam futurum est, quod cum in hoc verborum genere optativo Graecorum respondeat eique praesentis tem-

poris, ex alio fonte derivari non potest. Quare ut fero et φέρω, feramus et φέρωμεν, sic feremus et φέροιμεν inter se congruunt. Sed nec Graeci πέφορα, nec Latini feferi vel feri, vel simile quid, unquam finxerunt. Immo ne huic verbo perfectum deesset, utrique radice usi sunt prorsus alia. Graeci perfectum et aoristum ex ea formarunt stirpe quae est ἐνεγκ; Romanorum *te-tul-i*, cui posteriore tempore prima syllaba detracta est, ejusdem atque *tollo*, *tolero*, Graecorum τλῆ-ναι, τέ-τλη-κα, τάλ-ας, τόλ-μα originis esse constat. Haec enim verba graeca cum habeant vim a sensibus paulo remotiorem, propriam ferendi notionem τελαμών atque τάλαντον servarunt. Nec multum absunt Indorum *tûl-â-mi* vel *tul-j-â-mi*, pondero, *tul-â* libra, *tôl-â-mi* tollo, Gothorum *thul-a* tolero. Quae cum ita se habeant, apertum est similem inter *fer* et *tul* atque inter Graecorum φερ et ἐνεγκ rationem intercedere, quae cum *pang* et *pag*, *tang* et *tag* radicum inter se discrimine quodammodo comparari potest. Quapropter quod apud Pacuvium legitur v. 228

ne vim qui *attulat* neve attigat

et apud Novium v. 87

dotem ad vos nullam *attulat*

et quod Diomedes grammaticus p. 376 P. affert ,aulas *abstulas*' possunt haec in aoristi reliquiis numerari, quia ab afferat, auferas non minus diversa sunt, quam προσενέγκῃ, ἀπένεγκον a προσφέρῃ, ἀπόφερε. Atque notionis quoque differentiam quandam apud Romanos fuisse inter utramque radicem propterea veri non dissimile esse videtur, quod *suffero* certe et *sustuli* non ejusdem significationis sunt. Nam sufferendi verbum eam vim non habet, ut idem quod tollo vel de medio tollo significet, eaque causa fuit cur grammatici sustuli et sublatum cum praesenti tollo ad unius verbi communionem conjungerent. Simillima sibi sunt διαφέρω et *differo* etiam in eo, quod utrumque verbum neutralem usum habet a distandi notione fere non diversum. Verum non idem videtur perfecti quod est *distuli* usus; certe non invenio locum, in quo hoc idem quod ,diversus fui' significat, quamquam Graecorum διήνεγκον, διενήνοχα, διοίσομαι hujus notionis non sunt expertia. — Transeamus ad verbum quod dicitur substantivum. In eo nec apud Graecos nec apud Italos perfectum exstat, quod cum praesenti εἰμί i. e. ἐσ-μι, sum vel es-u-m comparari possit, eamque ob causam Graeci quasi supplementis utuntur perfectis quae sunt γέγονα, πέφυκα, iidem saepissime φῦναι substituunt, ut aoristi a verbo εἰμί formati vice fungatur. Quare mirum sane est, quod formulam illam homericam ἐν δ' ἄρα οἱ φῦ χειρί plerique interpretes ita inflectere solent, ut salutantis manum cum manu salutati quasi concrescentem sibi fingant *(,er wuchs ihm in die Hand')*,

cum idem fere a poeta significetur atque *ἐγένετο ἐν χειρί (er kam ihm in die Hand)*, ut dicitur *ἐγένετο ἐν ἑαυτῷ (er kam zu sich selbst)*, *ἐγένετο ἀπὸ δείπνου*. Apud Romanos *fui*, *futurus*, *fore* adeo omnem nascendi vel gignendi notionem abjecerunt, ut a *sum*, *ero*, *esse* temporis tantum ratione differre videantur. Ejusdem propaginis praesens quod est *fuo* vetustiori Latinorum sermoni concedi solet; sed nihil invenitur praeter conjunctivum *fuam*, quem Nonius Marcellus p. 111, 5 ‚*sim vel fiam*' significare dicit. Hujus conjunctivi tres personae singularis et tertia pluralis passim leguntur apud veteres tragicos et comicos, tertia singularis praeterea non tantum Lucretius, sed etiam Virgilius Aen. X 108 semel usus est. Eas igitur formas cum aoristi Graecorum formis quae sunt *φύω*, *φύῃς*, *φύῃ*, *φύωσι*, conferre possumus. Atque locis in quibus leguntur accurate inspectis mihi quidem veri simile est, *fuam* et *sim* sive *siem* non prorsus idem significasse, immo in priore aliquid inesse, propter quod magis cum graeco *γένωμαι* vel *γενοίμην* quam cum *ὦ* vel *εἴην* comparetur, ut nec Nonius cum fuam ‚sim vel fiam' explicaret, nec Servius, cum fuat idem quod ‚fuerit' significare diceret, multum a vero aberraverint. Nam quod in Plauti Milite v. 299 legimus

Quid *fuat* me, nescio

non potest aliter in graecam linguam converti nisi sic, *τί γένωμαι* vel *τί γενήσομαι*, *οὐκ οἶδα* et fere idem est atque quod vulgo dicitur quid me fiet? Eodem modo Trucul. IV 1, 11 ‚meis quid fortunis *fuat*.' In Bacchidum v. 155 Pistocleri verbis, quae sunt

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus

Lydus respondet

Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis *fuam*.

In Trinummi versu 267 ‚Amor amicus mihi ne *fuas* unquam' ne fuas est *μὴ γένοιο*. Inspice praeterea Afranii v. 280 (Ribb.)

cave ne pendeas

Si *fuas* in quaestione

et Plauti Pers. v. 51 cave *fuas* in quaestione, Pacuv. v. 116

mandat ne matri *fuat*

Cognoscendi unquam aut contuendi copia

legisque formulam a Censorino c. 24 servatam: praetor urbanus qui nunc est quique posthac *fuat* (mss. fiat), ubique aliquod futuri temporis indicium deprehendes. Reliqui loci, quos in universum viginti quinque collegi, non omnes quidem id quod proposui manifestum faciunt, neque tamen, ni fallor, hoc refutant. Quare hos indicasse satis erit: *fuam* Titin. 33, *fuas* Plaut. Capt. 431, 443, Liv. Andron. 21, *fuat* Enn. Trag.

simile relictum esse, cum praesertim apud Graecos *κτυπ-έ-ω* aoristum habeat *ἔ-κτυπ-ο-ν*, *γοά-ω ἔ-γο-ο-ν*. Accedit nomen substantivum a participali forma derivatum *sententia*, in quo Pottius rursus i litteram mero casu elisam esse statuit, quamquam eadem in simillimis nominibus *experientia*, *sapientia*, *audientia*, *convenientia* intacta remansit. Quidni igitur hic quoque significandi aliquam rationem diversae formae ansam dedisse conjiciamus? ‚Sententiam', inquit Quintilianus VIII 5 in. ‚veteres quod animo *sensissent*, vocarunt', et qui in senatu sententias dicebant sensa sive *τὰ δόξαντα*, *τὰ γνωσθέντα* potius, quam *τὰ δοκοῦντα* in medium proferebant. Id certe constat in hoc vocabulo vetusti alicujus participii quod est *sentens* memoriam servari, quo nullum magis cum parens conferri possit. Nec pauca exstant in sermone latino nomina ex genere eorum quae a veteribus grammaticis *μετοχικά* vocantur, in his quaedam cum aoristorum participiis *καμόντες*, *θανόντες*, *φθίμενοι*, *κτάμενοι* comparanda, quorum naturam Io. Classenius, praeceptor meus dilectissimus, in programmate gymnasii Francofurtensis a. 1855 edito (p. 8) illustravit.

Sed non diutius commorabor in loco admodum lubrico, in quo non facile est ab omnibus conjectandi illecebris cavere. Nam formam quidem aoristi in iis quae tractavimus verbis inesse vel eos concessuros esse spero, qui difficiliorem de significatione quaestionem nimis reconditam esse arbitrentur. Hoc autem concesso qui reputaverit id quod mihi quidem non dubium esse videtur, in universum certe nihil in verbis dicendique formis inesse quod non ad sensum aliquem exprimendum factum sit, eamque ob causam non formam tantum sed etiam vim aoristi ad antiquissimam gentium, quae indogermanicae dicuntur, aetatem pertinere, fortasse non amplius infitiabitur, facile fieri potuisse, ut etiam apud Italos quaedam majoris in tempore significando ubertatis reliquiae remanerent.

COMMENTATIO DE FORMA HOMERICA *ἙΑΦΘΗ*

QUAM

AD RENUNTIATIONEM

PHILOS. DOCTORUM ET AA. LL. MAGISTRORUM

RECTORE MAGNIFICO

BENNONE BRUNONE BRÜCKNER

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTORE HUIUSQUE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO SEMINARII THEOL. PRACTICAE ITEMQUE COLLEGII CONTIONATORII AD AEDEM ST. PAULI DIRECTORE ECCLESIAE CATHEDRALIS MISENENSIS CANONICO CAPITULARI REGII SAXONICI CONSISTORII ECCLESIASTICI CONSILIARIO ATQUE ADSESSORE ORDINIS REGII SAXONICI VIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM COMMENDARIO ORDINIS MAGNIDUCALIS HASSICI PHILIPPI MAGNANIMI EQUITE PRIORIS CLASSIS CET.

EXRECTORE MAGNIFICO

GUILIELMO THEOPHILO HANKEL

REGI SAXONIAE E CONSILIO AULAE SANCTIORE PHILOSOPHIAE DOCTORE MEDICINAE DOCTORE HONORARIO PHYSICES PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ORD. REG. SAX. VIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM EQUITE CET.

DENIQUE

RECTORE MAGNIFICO

FRIDERICO ZARNCKE

PHILOSOPHIAE DOCTORE LINGUARUM ET LITTERARUM GERMANICARUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO CET.

DECANO

GEORGIO CURTIO

PHILOSOPHIAE DOCTORE PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO E SEMINARII REG. PHILOL. DIRECTORIBUS ORDINIS REGII SAXONICI VIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM EQUITE CET.

PROCANCELLARIO

GEORGIO VOIGT

PHILOSOPHIAE DOCTORE HISTORIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO CET.

INDE A PRIMO DIE MENSIS MAII A. MDCCCLXIX USQUE AD DIEM TRICESIMUM MENSIS APRILIS A. MDCCCLXX

CREATORUM INDICENDAM

EX ORDINIS PHILOSOPHICI MANDATO

EDIDIT

GEORGIUS CURTIUS.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

Philippus Buttmannus si plus aliis sui temporis philologis iu discutiendis vocabulorum Homericorum tenebris profecit, propterea maxime hoc assecutus est quod numquam satis habuit in usum verborum atque conexum sententiarum inquirere, sed etiam ipsam linguae fabricam vocabulorumque et formarum origines summa sollertia explorabat. Quare nobis qui aliquantulo largiore supellectile instructi viaeque et rationis paulo peritiores nobis esse videmur, in glossarum Homericarum vi ac potestate indaganda haud raro vel ad ea reverti vel eis quasi fundamento uti licet quae ab illo proposita atque indicata sunt. Uno hoc exemplo demonstrabo, de quo quamquam ipse rectae sententiae auctor sibi non constitit, tamen primus vidit, qua in re cardo quaestionis verteretur et quomodo ad certum judicium perveniri posset.

Forma *ἑάφθη* duobus tantum locis nobis tradita est: N 543

ἐκλίνθη δ' ἑτέρωσε κάρη, ἐπὶ δ' ἀσπὶς ἑάφθη
καὶ κόρυς· ἀμφὶ δέ οἱ θάνατος χύτο θυμοραΐστης

et I 419

χειρὸς δ' ἔκβαλεν ἔγχος, ἐπ' αὐτῷ δ' ἀσπὶς ἑάφθη
καὶ κόρυς· ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ.

De qua forma jam veteres grammatici diversa protulerunt. Omitto Ammonium, qui lepidissimo pleonasmi invento usus *ἐάφθη* — sic enim scripsit — ex *ἐάθη* factum esse putavit, quamquam nec magno Herodiano haec opinio refutatione indigna visa est et vel nostris diebus exstiterunt homines docti qui pleonasmum ex Orco in hujus temporis lucem revocare

studerent. Herodianus quid voluerit ex scholio ad N 543 et ex epimerismis Homericis compertum habemus (Cram. Anecd. Oxon. I. 168). Posteriorem locum denuo ediderunt et constituerunt Lenzius (Herodiani Reliqu. II 309) et La Roche (Homer. Textkritik p. 231), quorum utrumque miror versum Alcaei ignorasse, qui ab Herodiano affertur, dudum a Bergkio in fragmentorum ordinem (54) receptum. Ad versum libri N adscripta sunt: *Ἀρίσταρχος δασύνει, ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι· φησὶ γὰρ ὅτι ἐπηκολούθησεν αὐτῷ,* in epimerismis accuratius etiam Aristarchi interpretationem profert: *ἐφέσπετο καὶ ἐπηκολούθησεν.* In qua Herodianum offendit maxime *α* littera, quae ei a verbo *ἕπεσθαι* aliena esse videbatur. Sic enim technicus ille omnium quidem qui umquam fuerunt *τεχνικώτατος*, sed ab ipsa linguae natura intellegenda alienissimus, rem sibi conformavit, *ἑάφθη* si quid cum *ἅπτειν* commune haberet, non posse non ex *ἥφθη* distractum esse ut *ἑάγη* ex *ἥγη*. Usum enim linguae et hic et alibi homines illi acutissimi existimarunt Penelopeae texturae haud dissimilem esse, in qua quae interdiu conjuncta atque contexta fuerant, clam et noctu rursus dissolverentur et diducerentur. Jam recte observarunt dissolutae texturae fila non posse alia esse quam conjunctae, itaque etiam *η* non posse in *εα* dissolvi, nisi *α* fuisset in eo verbo, ad quod ejusmodi forma pertineret. Quare cum nullum esset *ἅπομαι* vel *ἅπτομαι* pro eo quod est *ἕπομαι* ne *ἑάφθην* quidem ullum fieri potuisse. Nos ex simpliciore ratione, quam in rebus grammaticis sequi solemus, diceremus *α* litteram ab aoristo passivi alienam esse, nisi in ipsa verbi radice inveniretur. Quamquam postea videbimus ab hac regula quosdam aoristos esse exceptos, quos veteres grammatici propter artificiosam et falsam quam de augmento habebant doctrinam cum hac forma omnino non comparasse videntur.

Multo igitur rectius et accuratius Buttmannus. Is lexilogi vol. II p. 141 Aristarcho assensus est *ἑάφθη* ab *ἕπεσθαι* deducenti. In quo non neglexit augmenti rationem. Intellexerat enim augmentum syllabicum temporalis locum in eis tantum verbis obtinere quorum consona initialis evanuisset (Grammat. ampl. I 234). Jam nec in *ἕπομαι* nec in *ἅπτω* ullum vestigium ejus consonae invenit, quam solam putavit excidere potuisse, digammatis, sed cum *ἕπομαι* et latinum s e q u o r inter se compa-

raret, fieri potuisse arbitratus est, ut littera sibilans, quae in initio hujus verbi antiquitus fnisset, quodammodo F speciem indueret. Quo in judicio faciendo magis sensum quendam veri quam certam intellegendi rationem secutus est. Nos nunc scimus, σ litteram non minus saepe quam F inter vocales excidisse, et ob cam causem ἑ-άφϑη ex ἐ-σάφ-ϑη oriri potuisse. Quod cum Buttmannus nondum intellexisset, ipse in eo quod proposuerat non satis fiduciae collocavit et postea (Gr. ampl. II 117), priore sententia quodammodo retractata, rem dubiam esse declaravit.

Buttmanno oblocutus est is, qui ubique fere in quaestionibus Homericis id egit, ut quaecunque vel ab antiquo aliquo grammatico vel a nostri temporis philologo audacius et contra vulgarem opinionem posita esse videbantur, restringeret et si fieri posset refutaret, Franciscus Spitzner. Hic tantum aberat, ut Buttmanni illam de augmento observationem alicujus usus in hac quaestione esss putaret, ut (Iliadis Sect. IV p. XXIV) in haec verba erumperet: „istum literae et incertissimae et temporis decursu paene exstinctae — digamma dicit — defectum vel parum vel nihil efficere mihi quidem persuasum est". Est hoc exemplum ejus levitatis, qua haud pauci qui philologicam ἀκρίβειαν prae se ferunt, quaestiones grammaticas tractant. Ea quae nec satis intellegunt nec accuratius examinarunt, dicunt esse incertissima, nullam aliam ob causam, nisi ut pronuntiato ejusmodi judicio veniam ignorandi sibi parent. Sic Spitznerus non curat quae jam tum Buttmannus pro illius temporis ratione egregie de duplici augmento disseruerat, ne hoc quidem eum offendit, quod in hac forma sola syllabicum augmentum pro temporali positum esset, si quidem ab ἅπτομαι recte deduceretur. Erant talia et sunt etiamnunc multis minima, atque ut Romani praetorem vetabant minima curare, sic haec a philologi opera excludunt, quamquam homines philologi ceteroquin a rebus parvis et minimis diligenter explorandis nequaquam alieni sunt. Itaque Spitznerus ad Herodiani interpretationem reversus, ἑάφϑη ab ἅπτομαι deduxit et omnes quantum scio qui post eum de hac re sententiam protulerunt eum secuti sunt.

Res igitur haec est. Duae hujus formae exstant explicationes, altera Aristarchi, altera Herodiani auctoritate munita. Quaeritur utra praeferenda

sit. Jam ἑάφϑη quominus ab ἅπτω deducatur obstat primum augmenti ratio. Quod enim Buttmannus putavit, fortasse etiam hanc vocem aliquando F habuisse, parum veri simile est, nec aliam consonam antiquitus in fronte hujus verbi fuisse quisquam demonstrabit. Immo veri simillimum est ἅπτειν ab eadem radice derivari, quae latinis vocabulis *apere*, *aptus*, *apex* supposita est. Sic Pottius judicavit (Et Forsch. I[1] 256), et nuper Fickius (Indogerm. Wörterb. [2] 425). Hujus enim radicis *ap* propria vis et potestas haud dubie vinciendi vel nectendi fuit. Nam '*apere*', dicit Paulus Festi epitomator p. 18, 'veteres dicebant comprehendere vinculo'. Nec diversa est significatio Graeci ἅπτειν, quae quamquam paululum inclinatur in media voce ἅπτεσϑαι, servatur tamen in compositis ἀνάπτειν, ἐνάπτειν, προςάπτειν, περιάπτειν, συνάπτειν et in substantivis ἁφή, συναφή, ἅμμα, ἁψίς, quae non multum discrepant a latino *copula* i. e. *co-ap-ula* vel *co-ip-ula*. Cum graeco ἅμμα figura sua fere congruit latinum *amentum*, de quo Paulus p. 12: 'amenta quibus ut mitti possint *vinciuntur* jacula, sive solearum lora'. A principali hac nectendi significatione etiam ἀπήτρια dicta est, quam vocem Hesychius ἀκέστρια significasse docet, ea in aliis dialectis ἠπήτρια (cf. ἠπητής, ἤπησις, ἠπάομαι) vocabatur, et ut *jumenta* (cf. ζεῦγος) haud dubie a jungendo, sic ἀπήνην putaverim ab apiendo dictam esse. Paulo remotior videtur vis esse verbi *co-ip-ere*, cujus perfectum est *co-ēp-i*, qua forma trisyllaba Lucretius usus est, vel *coepi*, ut plerique homines latini dixerunt. Nec Graeci abhorruerunt ab hujusmodi usu qualis conspicitur in συνάπτειν μάχην, πόλεμον, φιλίαν. Uterque igitur populus incipiendi notionem a conserendo et conectendo nominasse videtur, qua in re fortasse a vetustissima texturae arte profecti sunt. Vidimus ergo usum verbi graeci et latini fere eundem esse. Paulo difficilius litterae inter se conciliari posse primum quidem inspicienti videntur. Graeca enim radix quae est ἁφ et in initio et in fine spiritum habet, latinum verbum a vocali incipit et in tenuem consonam exit. Verum spiritum asperum in voce graeca non primitivum esse, duo eorum quae attuli substantivorum ἀπήτρια et ἀπήνη demonstrare videntur, quibus aliqua cum probabilitate tertium adjungi potest ἀπάτη, si quidem et hoc vocabulum et homericum ἀπαφίσκειν Buttmanno Fickioque ab hac nectendi

radice profecta esse credimus. Quare cum haud pauca vocabula, de quibus Etymol. Gr. p. 464 egi, tenuem labialem in aspiratam commutaverint, alia ibidem p. 639 a me tractata spiritus lenis loco asperum habeant, equidem non dubito quin in hac radice utrumque factum sit. Nullam igitur veri simile est unquam fuisse consonam initialem, qua augmentum syllabicum excusari vel potius explicari posset.

Sustinuimus huc usque grammatici personam, nunc interpretis partibus susceptis quaerendum erit quid ipsa Homeri verba requirant. Ac Spitznerus quidem post longas dicendi ambages p. XXIII eo denique perducitur ut haec proferat: 'Nondum perspicere possum, quid impediat, quominus ista proprie intelligamus de clypeo ac galea jacentis collo alligatis et una cum postrato delapsis.' Putavit igitur homo doctissimus *ἑάφϑη* plusquamperfecti locum tenere, ut esset idem quod *συνῆπτο* vel ut Doederlinius Spitzneri judicio assensus vertit „*es haftete.*“ Miro enim modo olim nostrates hoc verbo germanico usi sunt ut graecum *ἅπτειν* in nostrum sermonem converterent, decepti quidem, ni fallor, soni similitudine, qua illorum temporum caecitas sola in captandis etymologiarum umbris uti potuit. Est hoc autem universo aoristi Graeci usui contrarium, quippe qui cum ab Atticis maxime scriptoribus saepissime de rebus antea factis dicatur, tamen ad conditionem aliquam etiamnunc continuatam et durantem significandam aptus omnino non sit. Obstat praeterea totus verborum nexus. Quid enim hoc est (*N* 543): inclinavit caput, ad quod clipeus alligatus fuit, (*Ξ* 419) fugit manum jaculum, ad quod alligatus erat clupeus et galea? Quis quaeso talia ubi vel aliquantisper reputaverit, ab Homero profecta esse sibi in mentem inducet? Senserunt hoc ei interpretes qui Spitznerum secuti sunt. Hi enim, quamquam *ἑάφϑη* et ipsi ad *ἅπτειν* pertinere putant, tamen ut aliquid efficerent quod ad sententiam aptius esset et aoristi naturae magis responderet substituerunt nostrum „*schloss sich an*“. At multum interest inter verbum germanicum et graecum. Illud enim profecto a significatione prima ac propria, quae est concludendi ad latiorem quendam usum pervenit, quo de eo dicitur qui alicujus vestigia premit. Sed nihil ejusmodi inest in graeco *ἐφάπτειν*, quod adnectendi colligandique potestate servata non magis quam reliqua

ex eadem radice procreata ad usum illum latiorem vel ampliorem unquam detorquetur. Quam autem Buttmannus (gramm. II² 117) postulavit sententiam 'inflicta est' eam sine machinis ex ipsa verbi ἅπτειν notione elici non posse ipse quodammodo sensit.

Tam maguae igitur difficultates cum ei interpretationi obstent, quam Herodianus secutus est, circumspiciendum erit, num forte melius altera illa satisfaciat, quae Aristarchi nomen prae se fert. Et eis quidem, qui συνεάφθη a verbo ἕπομαι derivant augmenti ratio nihil praebet obstaculi. Cum enim ἕπεσθαι latino sequi respondeat et ab initio et ipsum sibilantem habuerit, syllabicum augmentum suo loco positum esset. Nihilo minus duae etiam huic interpretationi impedimento esse videntur. Primum α vocalis ab eo quod est ἕπομαι aliena. At Hesychii lexicon praebet ἅπεσθαι· ἀκολουθῆσαι et si huic glossae, fortasse in συνεάφθη formae usum excogitatae, non magna fides habenda est, etiam in aliis aoristis α pro ε ponitur. Sic ἐτάρφθην (ε 74) et ταρφθῆναι (ε 80) ad praesens pertinent quod est τέρπω, verbi στρέφειν autem aoristus passivi modo ἐστρέφθην (στρεφθέντε Ε 575), modo ἐστράφθην (κατεστράφθησαν Ι 130) sonat. Ac probabile est etiam in alia quadam forma ab eadem radice deducta vetustissimam α litteram mansisse. Dico ἄαπτος. Quod vocabulum quominus ab ἅπτω derivetur eadem prohibet vocalium collisio, quam in ἑάφθη obstare vidimus. Ea vero notio, quam quaerimus, qua ἄαπτος fere nostro „*unnahbar*" respondeat, facillime ex verbo ἕπειν efficitur. ἕπειν enim aeque ac composita μεθέπειν, διέπειν, ἀμφέπειν, περιέπειν fere valet obire, tractare. Rarius invenitur simplex verbum ut Ζ 321

τὸν δ' εὗρ' ἐν θαλάμῳ περικαλλέα τεύχε' ἕποντα

quod quidem I. Bekkero tam mirum visum est, ut Ο 555 comparato περὶ κάλλιμα τ. ἑ. scriberet. Frequentantur διέπειν, μεθέπειν, ἀμφέπειν, ἐφέπειν: Β 207 ὥς ὅγε κοιρανέων δίεπε στρατόν, Υ 118 εἰναετὲς γάρ σφιν κακὰ ῥάπτομεν ἀμφιέποντες παντοίοισι δόλοισι, Θ 126 ὁ δ' ἡνίοχον μέθεπε θρασύν, Υ 494 τοσσούς δ' ἀνθρώπους ἐφέπειν καὶ πᾶσι μάχεσθαι. ἄαπτος igitur si pro ἄεπτος vel eo quod antiquissimi temporis erat ἀ-σαπτο-ς ponitur, significat intractabilem vel usu incommodum χεῖρες ἄαπτοι manus intractabiles, quas quis vitat potius quam quaerit.

Altera difficultas in forma passiva posita est. Requiri enim videtur medialis. Sed *περιέφθη* legitur Herod. V 81 *τῶν Θηβαίων τρηχέως περιεφθέντων ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων*. Quo exemplo certum fit passivam vocem nequaquam a natura hujus verbi abhorrere. Neque in eis locis de quibus agimus aoristus passivi temere pro mediali positus esse, sed suam vim servare videtur. Est enim quidam *μεθέπειν* verbi usus, quo cum duplice accusativo conjungitur, altero rei quam quis vel tractat vel dirigit, altero personae in quam quid dirigitur: *E* 329 *αἶψα δὲ Τυδείδην μέθεπεν κρατερώνυχας ἵππους ἐμμεμαώς*. Non multum distat *ἐφέπειν* cum dativo et accusativo conjunctum: *Π* 732 *αὐτὰρ ὃ Πατρόκλῳ ἔφεπε κρατερώνυχας ἵππους*, vel etiam nullo personae nomine addito Pind. Pyth. VI. 33 *ὁ δ' ἔφεπεν κραταιὸν ἔγχος*. Similiter igitur hoc loco *ἐπὶ — εάφθη* positum esse videtur, ut fere ea sententia efficiatur, quam Buttmannus quaesivit: immissa vel inflicta est: inclinavit caput, hoc est cecidit (*er sank hin*) post hoc immissus vel vibratus est clupeus et galea (*wurde ihm nachgeschleudert, sank ihm nach*), qua in interpretatione fere non diversa ab ea quam quidam falso ex *ἅπτειν* elici posse putabant (*er schloss sich an*) non video quid amplius desideretur. Idem haud dubie voluit sed non prorsus accurate expressit Aristarchus cum *ἠκολούθησε* interpretaretur. Ceterum leve discrimen esse inter *σπέσθαι* et *ἑφθῆναι* vel *ἀφθῆναι* concedo, non gravius quidem quam id quod inter *τέρψασθαι* et *ταρφθῆναι, χολώσασθαι* et *χολωθῆναι* intercedit.

Verum haec hactenus. Nunc id exsequendum est, de quo maxime agitur.

Semisaeculares suos honores ordo philosophorum gratulatus est

viris clarissimis atque optime meritis

FRIDERICO MAXIMILIANO OERTEL
professori scholae provincialis Misniensis emerito

GUSTAVO GUILIELMO AHNER
verbi divini apud Hohenleinenses prope Ileburgum ministro

JUSTO GUILIELMO MARTINO RADIO
medicinae doctori et in hac universitate professori publico ordinario regi Saxoniae in rebus medicinalibus e consilio sanctiore etc.

CAROLO MAURITIO FISCHER
verbi divini apud Dresdenses ministro et diacono secundario ad aedem St. Crucis

ALBERTO FORBIGER
conrectori gymnasii Nicolaitani Lipsiensis emerito

FRIDERICO PISTOTHEO KRAUSE
consistorii magniducalis Saxonici consiliario et archidiacono Vimariensi

FRIDERICO GRIMM
ephoro dioecesis et pastori primario ecclesiae Markneukirchensis in Variscia etc.

CAROLO LEBERECHT SCHEIBE
cantori et magistro gymnasii Zittaviensis

CHRISTOPHORO GODOFREDO HOFFMANN
verbi divini apud Grosseschelbachenses prope Zizam ministro

Honoris causa doctor philesophiae et artium liberalium magister creatus est vir doctissimus et maxime reverendus

ANDRONICUS DIMITRACOPULUS
ecclesiae Graecae Lipsiensis archimandrita.

Sequuntur vitae eorum qui rogatu suo explorata probataque dignitate doctores philosophiae et liberalium artium magistri facti sunt, vel suis cujusque vel meis verbis enarratae. Quae mea nou sunt, ea virgulis quales in afferendis aliorum sententiis in usu sunt inclusi.

Sunt autem hi:

JULIUS ECKARDT. 'Wurde als Sohn eines Advokaten im Jahre 1836 zu Wolmar in Livland geboren, erhielt seine Schulbildung in verschiedenen Privatlehranstalten Livlands und auf dem Gymnasium zu Riga, studirte von 1856 bis 1859 in Dorpat Jurisprudenz, erwarb im Herbst 1859 nach Ablegung des Staatsexamens und Abfassung einer Dissertation über die Geschichte des Livländischen Landtags die Würde eines Candidaten der Jurisprudenz (welche in Russland einen gelehrten Grad ausmacht) und ging dann zur Fortsetzung seiner Studien nach Berlin, wo er als

studiosus juris immatrikulirt wurde. Nach seiner Rückkehr nach Livland bekleidete Eckardt vom J. 1860 bis 1867 das Amt des ersten Sekretärs des Livländischen evangelisch-lutherischen Consistoriums; von 1861 bis zum Mai 1867 war er gleichzeitig Redakteur der Rigaschen Zeitung. Ausser verschiedenen politischen Abhandlungen welche in den Deutschen und Preussischen Jahrbüchern gedruckt wurden, liess Eckardt im J. 1865 eine Schrift: „York und Paulucci, Aktenstücke und Beiträge zur Geschichte der Convention von Tauroggen" (Leipzig bei Veit und Comp.) erscheinen. Im Mai 1867 siedelte Eckardt nach Leipzig über, wo er auf Dr. Gustav Freytags Aufforderung mit diesem gemeinsam die Redaktion der Grenzboten übernahm. Seine beiden grösseren Schriften „Die baltischen Provinzen Russlands„ und „Baltische und russische Culturstudien" hat derselbe der philophischen Facultät der Universität Leipzig mit der Bitte um Ertheilung der Doctorwürde unterbreitet.'

ERNESTUS DEECKE. 'Natus sum Lubecae anno MDCCCXXXI Calendis Aprilibus patre Ernesto Deecke, philosophiae doctore, qui postea quartae in Catharineo Lubecensi professurae munere functus est. Ab anno MDCCCXXXVII Catharinei classes elementarias et gymnasiales frequentavi, directore Fr. Jacobo, cuius memoriam adhuc summa cum pietate et gratissimo animo prosequor. Anno MDCCCXLVIII Lipsiam me contuli, ut philologiae studio operam darem, et viros ill. Hauptium, Jahnium, Westermannum, Brockhausium alios audivi. Inde post tria semestria Berolinum petivi ibique scholis virorum ill. Boeckhii, Ern. Curtii, Hertzii, G. Grimmii, Boppii, Weberi, Lepsii, Schottii, Trendelenburgii, Rankii, Ritteri aliorum acerrimo studio interfui. Anno demum MDCCCLII militiae sustinendae causa in patriam reversus e Fr. Jacobi morbo infelici occasionem habui, per novem fere menses in prima gymnasii classe docendi. Exim mens. Oct. anni MDCCCLIV scholam Ernestinam puellarem regendam suscepi, cui adhuc praesum. Denique anno MDCCCLXIV civium favore in summum scholarcharum collegium cooptatus sum. Quod in tanto vitae contentione otii nanctus sum, id comparativae grammaticae studio dicavi.' Scripsit: *De reduplicato latinae linguae praeterito.*

CAROLUS GUSTAVUS BLUMSTENGEL 'vico Frages oriundus, natus a. MDCCCXLIV, die XXIII mens. Apr., patre Daniele, matre Johanna Rosina, a. MDCCCLVIII inter discipulos gymnasii Nicolaitani Lipsiensis receptus est. Quinque annis post dignus habitus, qui disciplinam academicam adiret, Erlangam transmigravit ubi clarissimorum virorum, Spiegel, Hofmann, Delitzsch Ebrard scholas per duo semestria frequentavit. Lipsiam veversus et civitati academicae ascriptus, clarissimos viros Tuch, Anger, Kahnis, Luthardt, Brückner, Lechler, Fricke, Hofmann, Schmidt theologiam, de Gerber jus ecclesiasticum, Krehl linguas orientales, Voigt historiam, Drobisch, Ahrens, Seydel philosophiam tractantes audivit, quibus omnibus de se optime meritis gratias agit quam maximas. Anno MDCCCLXVII. examen pro theologiae candidatura absolvit.' — Libellus ejus inscribitur *Leibniz's Aegyptischer Plan.*

AENOTHEUS FRIDERICUS LIPPOLD. 'Den 16. Nov. 1844 zu Altenburg, nach des Vaters Tode, eines Kaufmannes — lutherischer Confession — geboren, genoss ich unter der Hut der Mutter und älterer Geschwister aufwachsend, den Elementar- und Progymnasialunterricht in der Privatlehranstalt von Matthiä, ging 1859 in die dritte Klasse des Friedrichgymnasiums meiner Vaterstadt über und erhielt nach sechsjährigem Unterricht in den drei oberen Klassen dieser Anstalt zu Ostern 1865 das Maturitätszeugniss. Erst geneigt Medizin zu studiren, entschloss ich mich,

bei nicht allzufester Gesundheit, deutsche Sprache und Litteratur philologisch kennen zu lernen in Verbindung mit dem Studium der Geschichte und der romanischen Sprachen. Ich bezog so Ostern 1865 die Universität Jena, um vor Allem die grammatischen Vorträge des nun dahingeschiedenen Schleicher zu hören. Geschichte hörte ich bei Adolf Schmidt und Dr. Simson, empfing Anregung zum Betrachten deutscher Kunstgeschichte und zur Mythologie bei Dr. Klopfleisch, in Philosophie und Psychologie führten mich Fortlage und K. Fischer ein. Ein vertrauterer Umgang mit Dr. Reinhold Bechstein bot dem Anfänger Belehrung über die Entwicklung der Disciplin und das Beispiel planmässigen Arbeitens. Vom Wintersemester 1866—67 an bis jetzt habe ich Vorlesungen auf hiesiger Universität besucht, und zwar über Sanskrit bei Herrn Prof. Brockhaus, über germanische und romanische Sprachen und Litteratur bei den HH. Prof. Zarncke und Ebert, während ich für geschichtliche Anregung den HH. Prof. Roscher, Voigt, Brandes dankbar bin. Nicht vergessen sei der Dank für die Belehrung, die ich nach exegetischer Seite bin aus öfterem privatem Zusammensein mit Prof. Rudolf Hildebrand schöpfte.' Scripsit: *Ueber die Quelle des Gregorius Hartmann's v. Aue.*'

CAROLUS ALEXANDER WOLDEMAR SEYDEL. 'Natus sum XXI. m. Jan. a. MDCCCXLIV in vico prope Lipsiam sito, cui nomen est Zehmen, patre Carolo Friderico Seydel, apud Zehmenenses et Ruebenenses praeceptore et cantore, matre Carlotta Henrietta e gente Herrmanniana oriunda, quam deus voluit praematura mihi morte eripi. Contigit autem mihi, ut alteram haberem matrem, Emiliam e gente Reichardtiana prognatam, quae, ut fratrem et sorores, ita etiam me amore vere materno amplexa est. Primis literarum elementis et ab ipso patre et a viro summe reverendo et optime de me merito, A. H. Abendroth, verbi divini apud Zehmenenses et Ruebenenses ministro, institutus anno h. s. quinquagesimo septimo in scholam Thomanam Lipsiensem receptus sum, cujus disciplina rectoribus viris clarissimis et benevolentissimis Stallbaum, Lipsius, Kraner per quinquennium uti mihi licuit. Superato maturitatis examine cum m. Oct. a. MDCCCLXII inter cives academicos universitatis Lipsiensis relatus essem, per quadriennium literarum theologicarum et quantum ad disciplinam exegeticam necessarium duxi, philologicarum studiis me tradidi. Praeceptoribus usus sum viris illustrissimis Ahrens, beat. Anger, Brueckner, Drobisch, Fricke, Hofmann, Kahnis, Klotz, Krehl, Lechler, Luthardt, beat. Tuch, Westermann, quos viros omnes gratissimo semper animo colam. Examine pro candidatura theologiae et pro licentia contionandi superato Lipsiam reliqui, ut ineunte semestri hiberno a. MDCCCLXVI in schola privata Blasewitziana, quam moderatur vir doct. Pietzsch, praeceptoris et educatoris munus susciperem. Sed spatio ne unius quidem anni exacto Lipsiam redii ibique a. MDCCCLXVII honorificum catechetae ad aedem Petrinam munus, quod habita, qua concionandi periculum ficret, oratione ab amplissimo Lipsiae urbis magistratu mandatum mihi erat, rite auspicatus sum.' Dissertatio ejus inscribitur: *Vaticinium Obadjae secundum textum Hebraicum et Chaldaicam Jonathae interpretationen ratione habita translationis Alexandrinae comparatum et illustratum.*

PAULUS AUGUSTUS BERNHARDUS ZIMMERMANN. Natus est Dresdae d. III mensis Septembris a MDCCCXXXIII patre tum vectigalium illius urbis publicorum exactore. Discipulus fuit scholae quae est ad aedem S. Annae, tum ejus scholae privatae cui Krausius praeest. Inde Misniam translatus gymnasii Afrani per

sexennium alumnus fuit. Vere anni MDCCCLXIV Lipsiensis universitatis civis factus studiis theologicis et philosophicis per septem semestria operam dedit. Catechetae nunc munere Lipsiae ad aedem S. Petri fungitur. Ut doctoris philosophiae dignitatem impetraret libellum conscripsit: *Ueber Plato's Unsterblichkeitslehre im Phaedon.*

AEMILIUS WEYER. 'Ich wurde im Jahre 1848 zu Prag geboren, besuchte daselbst die Hauptschulen und die sechs Jahrgänge an der k. k. deutschen Oberrealschule. Im Jahre 1865 trat ich als ordentlicher Hörer in das dortige polytechnische Institut, woselbst ich zumeist dem Studium der Mathematik oblag. Nach absolvirtem dritten Jahrescurse wurde ich zum Assistenten bei der Lehrkanzel für Mathematik mit deutscher Unterrichtssprache am Polytechnikum ernannt, in welcher Stellung ich mich zur Zeit noch befinde.' — Scripsit complures libros mathematicos jam antea editos.

LUDOVICUS (LOUIS) SCHAEFFER. 'Am 17. März 1840 wurde ich zu Schomfeld, im Kreise Sangerhausen geboren. Von meinem 14. Lebensjahre an besuchte ich die Realschule zu Nordhausen, welche ich im Jahre 1859, nachdem ich zuletzt einundeinhalbes Jahr der Prima angehört hatte, verliess, um als Apotheker in die Lehre zu treten. Vom Oktober 1866 bis März 1868 besuchte ich die Universität zu Halle, und widmete mich im letzten Semester, nachdem ich im Herbst 1867 die preussische Staatsprüfung als Apotheker bestanden hatte, fast ausschliesslich dem Studium der Chemie. Seit dem März 1868 bin ich Assistent beim Privatdocenten Herrn Dr. Wichelhaus in Berlin.' Libellum tradidit: *Ueber Isomerien bei den Naphthalinabkömmlingen.*

OSCAR LEHMANN. Natus est in vico Lusatiae, cui nomen est Niederleutersdorf, a. d. XIV Kal. Jan. MDCCCXLVIII, patre Carolo Augusto Lehmann, illius vici ludimagistro. Postquam patris ludum frequentavit, ab anno MDCCCLIX per sex annos et dimidium gymnasii Budissinensis disciplina usus est rectoribus Fr. Hoffmann et Frid. Palm viris doctissimis. Deinde a. d. XVII. Kal. Nov. a. MDCCCLXV universitatis literarum Lipsiensis civis factus cum aliorum virorum auditor fuit, tum Klotzii, Curtii, Ritschelii nec minus Zarnckii, quibus viris optime de se meritis gratissimum se profitetur. Proposuit ordini *Quaertiones de notis Tironis et Senecae.*

FRANCISCUS NUOFFER. 'Am 9. August 1839 zu Wongrowiec im Grossherzogthum Posen geboren, katholischer Confession, betraure ich seit dem Jahre 1860 den Tod der Eltern. In meiner Vaterstadt für die Gymnasialstudien vorbereitet, kam ich zu Ostern 1855 auf das königl. preussische Gymnasium zu Trzemeszno, welches damals der Direktor Dr. Milewski leitete. Zu Michaelis 1859 wurde ich aus dieser Anstalt mit dem Zeugnisse der Reife entlassen, um im Clerical-Seminar zu Posen, dem Wunsche der Eltern gemäss, Theologie zu studiren. Im November 1861 bezog ich die Universität München, wo ich meine theologischen Studien bis Michaelis 1864 fortsetzte und speciell die Vorlesungen des Professors v. Doellinger über Kirchengeschichte frequentirte. Zu Ostern des Jahres 1865 an derselben Universität von Neuem immatriculirt, widmete ich mich von dem Augenblicke an ausschliesslich dem philosophisch-historischen Studium und besuchte während eines Semesters die Vorträge der Herren Professoren Christ, v. Giesebrecht, Halm, Spengel. Seit Michaelis desselben Jahres hörte ich auf der Universität zu Breslau die Vorlesungen der HH. Professoren: Braniss, Bernays, Haase, Junkmann, Roepell, Rossbach und seit Ostern 1867 die der HH. Professoren: Althaus, Droysen, Huebner, Lepsius, Mommsen, v. Ranke an der Universität zu Berlin. Während dieser Zeit

bin ich auch Mitglied der historischen Seminare der Herren Professoren v. Giesebrecht, Junkmann, Droysen gewesen. Allen diesen Herrn bin ich zum aufrichtigsten Dank verpflichtet' Libellus ejus sic inscriptus est: *Die erste Phase des Aufstandes der Kosaken unter Chmielnicki in den Jahren* 1648 – 49.

ALEXANDER EUGENIUS KÖLBING. 'Natus sum Herrnhuti a. MDCCCXXXXVI patre Alexandro Levino Kölbing, matre Clara Amalia, e gente Risleriana. Postquam ibi scholam vernaculam frequentavi, annos duodecim natus, a parentibus paedagogio, quod Niskiae floret, traditus sum, ubi per tres annos in elementis et latinae et graecae linguae eruditus sum, praeceptoribus usus Beckio et Classio, quorum disciplina et ratione docendi factum est, ut jam puerilibus annis amore scriptorum et nostrorum et classicorum, quos dicimus, caperer quam maximo. Ibi per tres annos commoratus, in gymnasium Budissinense transii, cui etiamnunc praeest Palmius, vir in primis doctus. Ejus auspiciis per tres annos et sex menses tanta voluptate operam meam litteris navavi, ut, dignus habitus, qui ad altiora studia aggrederer, philologiae maxime me dodere constituerem. Lipsiae igitur audivi Ahrensium, Brockhusium, Curtium, Drobischium, Ebertum, Ecksteinium, Fritzschium, Klotzium, Overbeckium, Ritschelium, Schoenium, Zarnckium. Omnibus autem iis viris doctissimis, quorum scientia et doctrina per hos annos fructus sum, summam gratiam habeo et per totam vitam habebo.' Libellum proposuit sic inscriptum: *Die Nordische Parzivalsaga und ihre Quelle.*

FRIDERICUS OSCAR FERDINANDUS RUDOW. Natus est Eccardisbergae a. MDCCCXL, primis litterarum rudimentis imbutus scholae reali Halensi traditus. Cum postea in scholam ejusdem urbis latinae receptus esset Ecketeinii maxime disciplina ad altiora studia se incitatum esse profitetur. Itaque vere anni MDCCCLXI maturitatis testimonium adeptus primum in Halensi, post in Lipsiensi univertate naturae scientiae operam dedit. Scholis ibi Girardi, Schalleri, Heintzii, Knoblauchii, hic Erdmanni, Poeppigi, Mettenii, Treischkii, Seydelii interfuit, relicta tum academia Hammoniam se contulit, ubi cum munere praeceptorio victum sibi quaereret, museo zoologico uti potuit. Nunc Seesenii Brunsvicensium in schola publica discipulos res naturales docet. — Nomen dissertationis est: *Beitrag zur Kenntniss der Mallophagen oder Pelzfresser.*

EUGENIUS JULIUS SIERKE. Saalfeldae in Borussia orientali a. MDCCCXLV natus, judicis filius, in gymnasio Regimontino Palaeopolitano post in Rastenburgensi litterarum elementa edoctus est. Deinde per quattuor annos in universitate Regimontina in philologiam et litterarum historiam incubuit, neque tamen physicam et mathesin neglexit. Audivit viros doctissimos Rosenhain, Aug. Hager, Rosenkranz, Friedländer, Lehrs, Schade, Jordan, Neumann, Moser, quibus aeque ac Techowio Rastenburgensis gymnasii directori, generoque ejus Schottmüllero se gratissimum profitetur. Regimonti nunc dramaturgi munere fungitur. — Libellus ejus inscribitur: *Lessing als angehender Dramatiker.*

MAXIMILIANUS GUSTAVUS GROEBER. 'Lipsiae a. d. IV. Non. Maj. anni MDCCCXLIV patre Christiano Friderico, typographo et lithographo, matre Johanna e gente Garckiana natus est. Primis literarum elementis ab optimis viris, qui in schola patria, quae K. Ramshornio rectore etiamnunc floret, magistrorum munere fungebantur, institutus puer XIV annorum, quum vehementissimo literarum ardore incensus essem, venerandi Ottonis Klemmii tabernae librariae, ut pater voluit, alumnus factus sum.

Plus abhinc IV annis, primum Lipsiae deinde Francofurti quamquam invitus negotiis librariis operam dedi. Sed tantum abest, ul per hoc tempus literarum amor deferverit, ut, quantum res librariae otii praebebant, tantum in linguis et graeca et latina discendis atque in artibus mathematicis cognoscendis collocarim. Tunc demum pater. quum sibi persuasisset literarum amorem, quo incenderer, exstingui non posse, multis precibus adductus me tradidit Benselero, viro humanissimo deque literarum antiquarum studiis optime merito, cujus doctrina per annum instructus primae statim gymnasii Nicolaitani Lipsiensis classi discipulus adscriptus sum. Hic ab doctissimis optimisque viris, quorum quum omnium tum Lipsii, prof., memoria semper menti meae infixa erit, literis institutus, maturitatis examine rite superato, academiam Lipsiensem adii, ut ad linguarum veterum recentiorumque et ad philosophiae studium me conferrem. Scholis interfui virorum summorum Eberti, qui haud mediocrem mihi benevolentiam praestitit, Curtii, Drobischii, Fritzschii, Klotzii, Overbeckii, Ritschelii, Schönii, Voigtii, Zarnckii, Zilleri. Hosce viros, ex quorum uberrima doctrinae copia maximam percepi utilitatem, summa et veneratione et pietate prosequi non desinam.' Libellus ejus inscribitur: *Die handschriftlichen Gestaltungen der Chanson de geste Fierabras und ihre Vorstufen.*

ERNESTUS AEMILIUS FABIAN. 'Natus sum anno h. s. XLIV. Christiano Theophilo et Minna Carolina parentibus, quos praematura morte mihi ereptos maxime doleo, in vico Lusatiae superioris, qui dicitur Waltersdorf, unde post mortem matris carissimae annos XI natus Zittaviam translatus sum ab avunculo meo gymnasii Zittaviensis rectore, Henrico Julio Kaemmel, quem tanquam alterum patrem pio gratoque animo colere non desinam. Inde ab anno h. s. LVI. mihi contigit, ut artibus liberalibus in gymnasio Zittaviensi instruerer. Vere anni LXIV. h. s. civibus academiae Lipsiensis adscriptus sum, studiis philologicis et historicis operam daturus, ibique frequentavi scholas philologicas Brockhausii, Curtii, Klotzii, Ritschelii, Schoenii, Westermanni, Zarnckii, historicas Biedermanni, Flathii, Pueckerti, Voigtii, Wenckii, Wachsmuthii, Wuttkii, philosophicas Drobischii et Ahrensii, paedagogicas Ecksteinii, cujus seminario per tria semestria interfui, Masii, Zilleri, cujus exercitationes paedagogicas per unum semestre frequentavi. Praeterea audivi viros illustrissimos Luthardtum, Overbeckium, Roscherum. Per quadriennium non sine magna utilitate Wuttkii exercitationum historicarum particeps fui, qui eximia me ut excepit ita prosecutus est humanitate, quam ob rem semper eum cum sincera laude et pietate nomino et nominabo. Per tria semestria Klotzii societatem philologicam frequentavi et per unum semestre Curtii exercitationibus grammaticis interfui. Omnium horum praeceptorum meorum memoriam retinebo gratissimam.' Scripsit: *de Seleucia Babylonia.*

CAROLUS LUDOVICUS GRABOW. Anno hujus saeculi XXXIV Münchebergae patre horologiorum opifice matre e gente Duettmann natus est. Fidei addictus est evangelicae. Cum quindecim annos ageret Berolinum in disciplinam gymnasii Leucophaei Bellermanni tum auspiciis florentissimi migravit. Inde cum maturitatis testimonio dimissus anno MDCCCLV civibus universitatis Berolinensis adscriptus est, ut theologiae operam navaret, audivitque viros clarissimos Hengstenberg, Lehnerdt, Twesten, Vatke, Schultze, Michelet. Rei autem familiaris angustiis studia academica interrumpere coactus aliquamdiu magistri privati munere functus est. Mox autem mutato consilio Berolinum reversus per duos annos iterum litteris, sed nunc maxime philologicis studuit, dum praeceptoris munere in schola Wieprechtii privata suscepto victum sibi parat. Interfuit scholis virorum doctissimorum Boeckh, Haupt, Bopp,

Dove, Droysen, Ranke, Friderichs, Geppert, Müllenhoff, Steinthal, Gosche, Kiepert, Trendelenburg. His omnibus, maxime autem Trendelenburgio, Boeckhio, Hauptio, Müllenhoffio gratias agit. Examine pro facultate docendi sustento a. MDCCCLXV Soraviae, post Gorlici pueros docuit. — Dissertationis inscriptio haec est: '*Numeri dochmiaci usum Sophocleum ad veterum rhythmicorum doctrinam quadrare demonstratur.*'

CAROLUS THEODORUS ALBRECHT. 'Am 30. August 1843 bin ich in Dresden geboren, besuchte von 1850 bis 1857 die Privatschule des Herrn Böttcher, von 1857 bis 1860 die Realschule zu Neustadt-Dresden und von 1860 bis 1865 die polytechnische Schule. Nachdem ich im Jahre 1865 das Zeugniss der Schlussprüfung in der Section für Lehrer der Mathematik nnd Naturwissenschaften erhalten, ging ich Michaelis 1865 zur Fortsetzung des Studiums nach Berlin, wo ich bis Michaelis 1868 als stud. astron. inscribirt war und Vorlesungen bei den Herren Professoren Förster, Kummer, Weierstrass, Dove und Trendelenburg besuchte. Anfang Mai 1866 wurde ich als Assistent im Centralbureau der europäischen Gradmessung zu Berlin angestellt, in welcher Stellung ich noch gegenwärtig thätig bin. Anfang December 1868 kam ich im Auftrage des Centralbureaus nach Leipzig, wo ich die Vorlesungen der Herren Professoren Bruhns und Hankel besuchte. Allen diesen meinen Lehrern spreche ich hiermit meinen ganz ergebensten Dank aus.' Scripsit *Ueber die Bestimmung der Längendifferenzen mit Hülfe des elektrischen Telegraphen.*

HENRICUS GUILIELMUS WISSER. 'Klenzaviae, in vico prope Utinam urbem sito — est autem Utina caput principatus Lubecensis, provinciae ducatus Oldenburgensis — anno h. s. XLIII. patre Guilielmo matre Christina e gente Sachiana quos adhuc in vivis esse gaudeo. Usque ad annum aetatis fere XII. a ludi magistris litterarum elementis imbutus per septem fere annos gymnasium Utinense frequentavi. Maturitatis testimonio quod dicunt instructus Kiliam me contuli, ubi per triennium studiis philologicis operam dedi simulque theologicis. Audivi Dillmannum, Forchhammerum, Frickium, Gutschmidium, Harmsium, Jessenum, Junghansium, Thaulowium, Weinholdium, Weissium imprimis vero Ribbeckium. Seminari philologici Kiliensis socius fui per annum et sex menses ordinarius. Deinde relictis studiis theologicis Lipsiae per menses duodeviginti in studia philologica atque archaelogica incubui scholisque interfui Curti, Overbecki, Ritscheli, Roscheri, Zarncki. Ritscheli benignitate factum est, ut per illud tempus socius essem societatis philologicae Lipsiensis. Domum reversus aliquot menses valetudinis firmandae causa otio inerti usus sum rustico: corroboratus Rodensandiae in villa amoenissima prope Utinam sita per decem menses praeceptoris domestici munere functus sum. Inde a mense Maio anni superioris iterum Lipsiae moratus sum. Gratiam habeo maximam cum ceteris viris tum Curtio, Overbeckio, Ribbeckio, Ritschelio optime de me meritis.' — Scripsit *Quaestiones Tibullianas.*

CAROLUS OSCAR MITSCHERLICH. 'Am 21. Januar 1829 wurde ich in Berlin geboren. Mein Vater war der Geheime Ober-Medicinalrath und ordentliche Professor der Chemie an der dortigen Universität. Die Vorbildung zu den Universitätsstudien erhielt ich auf der Klosterschule zu Rossleben, von wo ich zu Ostern 1850 mit dem Zeugniss der Reife entlassen wurde. Von da bis Ostern 1852 hörte ich auf der Universität in Berlin die Vorlesungen der Herrn Professoren und Doctoren Mitscherlich, Link, Berg, Magnus, Rose, Lichtenstein, Riedel, Wiedemann, Heidemann. Trendelenburg, Rudorff, arbeitete ausserdem in dem Laboratorium meines Vaters und

beschäftigte mich vorzugsweise mit Untersuchungen von Gegenständen, welche für den Forstmann von Wichtigkeit sind. Das forstliche Lehrjahr absolvirte ich in der Zeit von Ostern 1852 bis dahin 1853 auf dem Forstrevier Pölsfeld im Harz und wurde hierauf zum weiteren zweijährigen Studium auf der Forst-Akademie zu Neustadt-Eberswalde zugelassen, wo ich sämmtliche daselbst gehaltene Vorträge besuchte und den forstlichen Excursionen beiwohnte. Von Ostern bis Michaelis 1855 hörte ich auf der Universität in Berlin Botanik beim Dr. Hanstein und bereitete mich gleichzeitig zum forstwissenschaftlichen Tentamen vor, welches ich im Herbst desselben Jahres bestand. Zu meiner weiteren forstlichen Ausbildung brachte ich einige Zeit auf den Oberförstereien Friedrichsthal, Werder und Pudagla in Pommern, dann im Forstrevier Zobten in Schlesien, endlich auf der Oberförsterei Zedlitz in Schlesien zu. 1857 nahm ich an den Taxations- und Taxations-Revisions-Arbeiten im Regierungsbezirk Arnsberg Theil, und hielt ich mich auf den Forstrevieren Köpnick und Rüdersdorf auf, um mich über Waldwerthberechnung zu unterrichten. Vom Januar bis Mai 1858 wurden mir mehrere Schutzbezirke der Oberförsterei Astrawischken in Ostpreussen zur interimistischen Verwaltung übertragen. In den Sommermonaten dieses Jahres bereitete ich mich auf der Oberförsterei Sonnenburg zum Oberförster-Examen vor, welches ich auch im August desselben Jahres bestand und bald darauf dem Revierverwalter der Oberförsterei Linichen in Pommern als Assistent überwiesen wurde. Am 31. März 1859 legte ich vor dem Regierungspräsidium der Regierung zu Frankfurt die Regierungs- und Forstreferndariats-Prüfung ab und wurde in Folge dieses Examens in das Regierungs-Collegium zu Liegnitz im October 1859 eingeführt. Hierselbst arbeitete ich als Referendarius in der Abtheilung des Innern, bis mir die Taxation und Taxations-Revision übertragen wurde. Mit der Ausführung dieser Arbeiten war ich bis zum April 1862 beschäftigt und hielt alsdann mit Genehmigung des landwirthschaftlichen Ministeriums bis zum September 1863 Vorlesungen über Waldbau, Landwirthschaftsrecht und Polizei-Verwaltung. Zu Johannis 1864 wurde ich zum Königlichen Oberförster ernannt und mir gleichzeitig die Oberförsterei Zirke im Regierungsbezirk Posen übertragen.' Libellum proposuit, qui sic inscribitur *Die Tiefcultur in forstlicher Hinsicht.*

CAROLUS BERNARDUS DOERING. 'Dresdae a. d. X. Cal. Aug. anni MDCCCXLV patre Joanne Theaeneto, qui artem exercet sutrinam, matre Maria Dorothea, e gente Siegeliana. Mater carissima proximi anni mense Februario obiit. Pater abhuc in vivis est, atque est in flagrantissimis votis, ut ei beata senectute frui liceat. Addictus sum ecclesiae christianae a Luthero reformatae. Primis scientiae elementis imbutus a praeceptoribus scholae Dresdensis, quae vocatur 'Freischule des Vereins zu Rath und That', anno hujus saeculi LIX in septimam classem gymnasii, quod Dresdae est ad aedem Sanctae Crucis a Ludovico Klee, qui tunc isti scholae praeerat, receptus sum. Vere anni LXV maturitatis testimonium nactus inter cives academiae Lipsiensis relatus sum. Inde ab hoc tempore versatus sum in studiis philologicis et operam dedi perdiscendis linguis ac pernoscendis litteris et antiquis et germanicis. Seminarii philologici socius fui inde a vere anni LXVII h. s. usque ad a. LXIX. Scholis interfui doctissimorum clarissimorumque virorum Drobischii, Curtii, Klotzii, Ritschelii, Zarnckii aliorum. Quibus viris optime de me meritis gratiam semper habebo maximam.' — Libellum conscripsit *Ueber die Quellen der Niflungasaga in der altnordischen Thidreksaga.*

AUGUSTUS GUILELMUS JULIUS WILDENHAHN. Natus a. MDCCCXXXIX in vico Schoenefeld prope Lipsiam patre ibidem tum verbi divini ministro, hunc Budissinum secutus et in gymnasio Budissinensi eruditus est. Universitatis Lipsiensis a. LIX civis factus virorum cl. Kahnis, Luthardt, Drobisch, Bursian, Overbeck, Treitschke institutione usus est. Nunc in schola reali Annabergensi pueros docet. Librum proposuit, qui inscribitur: *Die Schulen der Brüder vom gemeinen Leben, mit einem Hinblick auf unsere Realschulen*, a. MDCCCLXVII editum.

FRANCISCUS ULLIK. 'Ich bin geboren am 4. October 1836 zu Sukohrad in Böhmen, trat 1846 in die Hauptschule zu Leitmeritz ein und 1849 in die Oberrealschule in Prag. Nach Absolvirung derselben besuchte ich von 1851 bis 1857 das polytechnische Institut zu Prag und hörte an demselben die Vorlesungen über Mathematik, praktische Geometrie, Physik, darstellende Geometrie, Mechanik und dann aus besonderer Neigung zu den Naturwissenschaften Zoologie, Botanik, Mineralogie, Geognosie, Paläontologie, allgemeine und technische Chemie, verbunden mit praktischen Uebungen im Laboratorium. Im Jahre 1857 wurde ich als Supplent an der Unterrealschule zu Rokytzan verwendet und legte im nächsten Jahre die Lehramtsprüfung für Unterrealschulen aus den Naturwissenschaften ab. Dem Drange nach weiterer wissenschaftlicher Ausbildung, namentlich in der Chemie, folgend, bewarb ich mich um einen Urlaub, der mir für 1½ Jahre gewährt wurde. Demzufolge besuchte ich 3 Semester hindurch, 1860 und 1861, die Universität zu Wien, arbeitete im chemischen Laboratorium und hörte die Vorlesungen über Chemie, Mineralogie, Geognosie, Zoologie, Botanik. Sodann erhielt ich vom k. k. Staatsministerium die Bewilligung zur Ablegung der Lehramtsprüfung aus Chemie und Naturgeschichte, mit Nachsicht der Gymnasialstudien, welche Prüfung ich im Jahre 1862 mit gutem Erfolg bestand. Mit Hülfe mir verliehener Stipendien wurde es mir möglich, in den Jahren 1862 und 1863 bei Prof. Redtenbacher in Wien zu arbeiten und darauf zwei Semester bei Prof. Bunsen in Heidelberg zuzubringen. Von dort zurückgekehrt, wurde ich zum Assistenten an der technischen Hochschule zu Graz ernannt, welche Stelle ich bis heute noch bekleide.' — Proposuit complura scripta minora chemica, quae jam ante ediderat.

RICARDUS MOLLWEIDE. 'Natus sum Nienburgii Anhaltinorum anno hujus saeculi XXXXV die nono mensis Martii, patre Friderico, matre Friderica e gente Fluegeliana, quorum haec paucis abhinc annis morti occubuit. Fidem profiteor evangelicam. Sedecim annos natus ad gymnasium Cotheniense me contuli, quod sub Crameri auspiciis floret, ibique per quinquennium versatus sum. Anno MDCCCLXVI maturitatis nactus testimonium inter cives academicos universitatis Halensis receptus sum, theologiae et philologiae studio me operam navaturum professus. Ibi per unius anni spatium interfui scholis virorum doctissimorum Bernhardy, Bergk, Pott, Heyne, Conze aliorum. Tum almam universitatem Lipsiensem adii et hic per quinque semestria scholis usus sum professorum doctissimorum Curtius, Klotz, Ritschl, Zarncke, Drobisch, von Tischendorf, Voigt, aliorum. Quibus omnibus gratias ago quam maximas.' Libellus ejus inscribitur: *Symbola Sophoclea*.

FELIX DE WEŽYK. 'Ich bin am 12. December 1842 zu Rogaschytze im Grossh. Posen, geboren. Die vorbereitende Ausbildung für die Universität erhielt ich auf dem Gymnasium zu Ostrowo, welches ich im Jahre 1864, versehen mit dem Zeugniss der Reife, verliess. Im Sommer 1865 bezog ich die Universität Breslau, wo ich mich

dem Studium der Geschichte widmete und die Vorträge der Herren Professoren DD. Roepell, Junkmann, Neumann, Braniss, Cybulski, Haase, Rossbach und Hertz besuchte. Zu Ostern 1867 begab ich mich nach Berlin und hörte dort die Vorlesungen folgender Herren Professoren: Althaus, Hübner, Droysen, Koepke, Lepsius, Kiepert, Jaffé und v. Ranke. Allen diesen Herrn Professoren, insbesondere aber dem Herrn Professor Dr. Droysen, welcher mich zu den Uebungen seiner historischen Gesellschaft zugelassen hat, sage ich hiermit meinen besten Dank.' Libellus ejus inscriptus est *Der Conflict des Königs Sigismund II. Wasa mit den polnischen Ständen und der Inquisitionsreichstag vom 7. September 1592.*

HENRICUS ROMUNDT. 'Natus sum Friburgi Hanoveranorum oppidulo a. d. MDCCCXLVI Henrico Romundtio et Gesina parentibus optimis, quibus ambobus jam diu orbatus sum. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementa doctus artibus liberalibus instructus sum a gymnasii Stadensis quod est patrio oppidulo proximum praeceptoribus, e quibus Plasii et Krausii nunc Rostochiensis disciplinae permulta me debere profiteor; quorum adhortatione ad litterarum antiquarum studia excitatus vere anni MDCCCLXV Bonnam me contuli Fridericum Ritschelium et O. Jahnium viros longe celeberrimos auditurus; deinde autumno ejusdem anni Bonna relicta inter hujus academiae Lipsiensis cives receptus sum; deinde per annum fere Gottingae studiis operam dedi; denique vere anni MDCCCLXVIII Gottinga relicta Lipsiam reversus sum. Per hoc studiorum academicorum tempus scholis horum interfui virorum clarissimorum Ernesti et Georgii Curtii, Drobischii, Ehlersii, Fechneri, Ott. Jahnii, G. Mülleri, Overbeckii, Peipersii, Fr. Ritschelii, Roscheri, Sauppii, Teichmülleri, G. Voigtii, Waitzii, Zarnckii. Egregia praeterea virorum optimorum erga me benevolentia factum est, ut in societates reciperer, quarum exercitationibus archaeologicis, grammaticis, historicis, philologicis, philosophicis praeerant Georgius Curtius, Eckateinius, Overbeckius, Ritschelius, Teichmüllerus, Waitzius, viri egregii. Eis igitur omnibus ex animi sententia gratias refero quam maximas.' Libellum proposuit qui inscribitur *Die Wurzel λεγ im Griechischen.*

PAULUS ROBERTUS SCHUSTER. Natus est in oppido Markneukirchen, ubi pater non ignobilem instrumentorum musicorum mercaturam fecit a. MDCCCLI. Primum gymnasio Vitzthumiano Dresdensi traditus, inde vero in Moldanum Grimmense translatus est. Ut theologiae studio se dederet, Erlangensem primum academiam petivit, ubi imprimis Hofmanni scholis interfuit, postea Lipsiensem. Examine pro licentia contionandi perfunctus praeceptoris munus in schola quadam privata Ludwigslusti suscepit. Altero quoque examine absoluto Berolinum adiit, ubi veteribus maxime philosophis operam dedit, postremo a. MDCCCLXVI Lipsiam reversus ibique et in ludo quodam privato et in ea schola quae missionaria dicitur, praeceptor factus est. — Scripsit *de veteris Orphicae theogoniae indole atque origine.*

CUNO GUILELMUS ARMINIUS SCHLOEMILCH. Hic quo anno natus esset nobiscum non communicavit. Dicit autem se Vimariensem esse ex vico Hardisleben oriundum et gymnasium reale Isenacense frequentasse. Jenam deinde se contulit studiisque morbi causa paulisper interruptis, Lipsiam, ubi viros clarissimos Kolbe, Naumann, Braune, Knop audivit quibus aeque ac Jenensibus Geuther, Pringsheim, Fischer philosopho, Schmidt historico se gratissimum profitetur. — Libellus ejus chemicus inscriptus est *Ueber directe Umwandlung des Aldohyls der Essigsäure in Aceton und dessen Homologe.*

ANTONIUS MAURITIUS PFALZ. 'Natus sum Idibus Juniis a. MDCCCXLII Borsdorfii, vico prope Lipsiam sito, ubi pater munere exactoris vectigalis viarum stratarum fungebatur. Aetatis anno tertio decimo gymnasium Nicolaitanum Lipsiense, quod F. A. Nobbio tum florebat rectore, frequentare coepi. Maturitatis testimonio instructus inde ab auctumno a. MDCCCLXII per octo semestria Lipsiae litterarum latinarum, graecarum, historiae studio operam navavi. Scholis interfui ill. Klotzii, Westermanni, Curtii, Ritschelii, Overbeckii, Drobischii, Wenckii, Weissii, Pückerti, al. Regii seminarii philologici sodalis fui ordinarius per tria semestria. Examine pro munere praeceptoris publici peracto annum tirocinii in gymnasio Fribergensi absolvi. Nuper a regico ministerio gymnasii Chemnicensis praeceptor creatus sum.' — Libellus ejus inscriptus est: *Persien und Karthago. Ein Beitrag zur Würdigung der internationalen Verbindungen im Alterthume.*

AUGUSTUS LUDOVICUS JEEP. 'Fidei addictus evangelicae, natus sum Guelferbyti 12. die mensis Sextilis anni MDCCCXXXXVI, Justo et Aemilia e gente Klotziana parentibus optimis, quibus superstitibus vehementer laetor. Litterarum primordiis imbutus adii gymnasium Guelferbytanum, cui pater meus praeest, ubi praeter hunc me erudiverunt Christianus Jeep, carissimus patruus, Kunzius, Dresselus, Rossenbaumius, Steimeyerus, quorum memoriam semper servabo grato animo. Inde duodeviginti annos natus rite dimissus studiis philologicis operam navaturus primum academiam Gottingensem, tum Lipsiensem petii, in quarum utraque binos annos remansi. In Georgia Augusta academia Leutschium, Lotzium, Sauppium imprimis vero Henricum Ritterum audivi et Ernestium Curtium, cujus orationis vi et venusta docendi ratione ita sum inflammatus, ut quamdiu in hac academia versarer illius viri disciplinae, qui me in societatem suam benigne recepit, totus me dederem. Lipsiae interfui scholis Georgii Curtii, Drobischii, Eckateinii, Friderici Ritschelii, Zarnckii, Curtio, Ritschelio, Klotzio moderatoribus in seminario philologico in interpretatione veterum scriptorum eorumque emendatione, Eckateinii autem auspiciis in seminario paedagogico in educandi et instituendi disciplina exercitus sum. Quibus viris omnibus ago gratias quam maximas, sed gratissima semper prosequar memoria Georgium Curtium et Fridericum Ritschelium, qui cum aliis rebus studia mea liberalissime semper adjuverunt tum eo, quod me insigni beneficio in privatas societates, quibus uterque praeest, receperunt.' — Scripsit *Quaestiones criticas ad emendationem Claudiani panegyricorum spectantes.*

JOANNES HUGO HELBIG. 'Ponitzi natus sum Calendis Aprilibus a. h. s. XXXXV, patre Guilielmo Ernesto, qui latifundium Ponitziense conduxerat, matre Theresia, e gente Scholl. Postquam pater in Helvetiam migravit, ubi etiam nunc versatur, mater summa pietate mihi colenda cum liberis a. LIV exeunte Lipsiam habitatum venit. Quo loco usus sum gymnasio novo universali, quod nunc floret directore Zillio. Ineunte a. LXII in gymnasio Zwickaviensi, cui praeerat Fridericus Krabner, veniam impetravi in academiam discedendi et inter universitatis Lipsiensis civis receptus sum. Primo litterarum saerarum, tum philosophiae et philologiae studio deditus per duodecim semestria interfui scholis virorum doctissimorum Ahrens, Anger, Brueckner, Curtius, Drobisch, Eckstein, Ebert, Fritzsche, Flathe, Hankel, Klotz, Luthardt, Mettenius, Nobbe, Poeppig, Ritschl, Schoene, Seydel, v. Treischke, Tuch, Voigt, Weisse, Wenck, Westermann, Wuttke, Zarncke. Nec non particeps fui exercitationum societatis grammaticae, cui Curtius, societatis Latinae, cui Klotzius, socie-

tatis Graecae, cui Fritzschius praeest, seminarii regii philologici, socius fui extraordinarius, seminarii paedagogorum, cui Ecksteinius praefectus est, socius ordinarius. Praeceptoribus omnibus gratias ago quam possum maximas.' — Scripsit *Quaestiones de dialecto Cretica.*

FRIDERICUS RICARDUS SACHSE. 'Die XXIV. mensis Mai a. h. s. XXXXVI natus sum Wachaviae in vico prope Lipsiam sito, ubi pater ludimagister fuit. Cum per octo annos a patre institutus essem, annos natus quattuordecim, scholae Thomanae discipulis adcriptus sum. Mens. Aprili a. h. s. LXVI dignus habitus, qui in academia ad litterarum studia me applicarem inter cives academiae Lipsiensis clarissimae relatus sum et audivi viros doctissimos Brockhaus, Curtius, Drobisch, Eckstein, Hildebrand, Klotz, Masius, Nobbe, Pueckert, Ritschl, Roscher, Schoene, Voigt, Weisse, Wenck, Wuttke, Zarncke, quibus omnibus semper habebo gratias maximas.' — Scripsit *De carmine Iliadis quod Lachmannus XVI esse voluit.*

ERNESTUS HUGO BERGER. 'Natus sum Gerae die VI mensis Octobris anni MDCCCXXXVI, patre Fried. Aug. Bergero, lithographo et artis delineandi magistro, quo duce vix puerum me fatum privavit. Institutus deinde Lipsiae, quo pater commigraverat, in gymnasio St. Thomae in hac nostra academia theologiae et philologiae studium colui, sed mox egestate oppressus coactus sum ut studiis relictis victum quaererem, donec melior iam fortuna literarum vestigia persequendi potestatem mihi restituit.' — Proposuit librum *Die geographischen Fragmente des Hipparch.*

AUGUSTUS ADOLF. KROHN. 'Natus sum a. d. IV cal. Jul. anni 1840 in fundo paterno Brusendorf in Marchia Brandenburgensi sito. Fidem profiteor evangelicam. Primum in schola reali Brandenburgensi institutus postea per quattuor annos gymnasii disciplinam in eadem urbe sequebar, unde Berolinum profectus illustrissimaeque universitatis civis assumptus philosophiae, historiae et philologiae per septem semestria operam navavi. Publico dein tentamine absoluto apud academiam equestrem Brandenburgi florentem magistri vice fungebar nuperrimeque in collegii legitimum ordinem discessi.' — Dissertatio ejus inscripta est *Quaestiones Platonicae.*

CHARISIUS PULIUS. Natus est Selittae in Macedonia anno h. s. XXXXV. Cum tredecim annos ageret ad patruum archiepiscopum Mantineensem deductus et ab eo in gymnasii Tripolitani disciplinam traditus est. Eodem patruo patrono et duce a. h. s. LXIV Athenas se contulit, ibique universitatis civibus adscriptus viros doctissimos Philippum Joannis et N. Cotziam philosophiam, Ad. Rhusopulum Graecarum litterarum historiam docentem, D. Maurophryden et S. Phintialem scriptores Graecos interpretantes, D. Semetelium artem veterum rhythmicam et metricam exponentem, Alex. Rhangaben archaeologiam et antiquitates Graecorum explicantem, Steph. Cumanuden linguam latinam et scriptores Romanos illustrantem, Eud. Castorchae encyclopaediam philologicam, Her. Metsopuli geologiam et zoologiam, C. Paparrhegopuli historiam Graecam, D. Bernadacis historiam generalem, D. Strumpi physicen, B. Laconis mathesin audivit. Relicta patria a. h. s. LXVII Lipsiam adiit, ubi Ritschelii, Klotzii, G. Curtii, V. Voigtii lectionibus interfuit. Cum omnibus praeceptoribus suis tum Theophani summorum sibi beneficiorum auctori summas gratias agit. Scripsit Graece *Περὶ τῆς καταγωγῆς τῶν νῦν Ἑλλήνων καὶ τινων ἠθῶν καὶ ἐθῶν αὐτῶν μετὰ παραλληλισμοῦ πρὸς τα τῶν ἀρχαίων.*

ARMINIUS WOLFF. Anno h. s. XXXXII in fundo quem pater administrabat Peruschensi, in Silesia sito, natus est. Discipulus fuit gymnasii Vratislavensis ad aedem

St. Mariae Magdalenae. Inde cum maturitatis testimonio dimissus in ejusdem urbis universitate clarissimos viros Braniss, Kostlin, Semisch, Raebiger philosophiam ac theologiam explicantes audivit. Anno LXVI ad studia continuanda Lipsiam migravit, ubi cum per tria semestria versatus esset Halis Saxonum examen pro candidatura superavit. Lipsiam reversus philosophiae maxime, in quo praecipue Drobischium secutus est, et philologiae operam dedit, dum simul ad victum quaerendum munere praeceptorio fungitur. — Libellus sic incriptus est: *Die metaphysische Grundanschauung Kants, ihr Verhältniss zu den Naturwissenschaften und ihre philosophischen Gegner.*

FRIDERICUS AEMILIUS OSCARUS HUBATSCH. 'Natus sum Landsbergae a. d. IV. Id. Octobr. anni h. s. XLV Johanne patre et Guilelma matre e gente Letzneriana, quibus superstitibus gaudes. Fidem profiteor evangelicam. Elementa postquam in ludo publico Sprembergensi didici, puer undecrin annorum ad gymnasium Cotbusiense sum deductus. Anno h. s. LXIII. maturitatis testimonio instructus academiam Berolinensem petii, ubi per quattuor annos imprimis Hauptii, Mommseni Droyseni, Müllenhoffii, Erdmannsdoerfferi scholas audivi neque exercitationibus, quas Droysenus regebat, historicis non interfui. Auctumno anni h. s. LXVII. me rettuli Cotbusium, ut et ad examen pro facultate docendi me praepararem, quod anno post Berolini absolvi, et per annum officium praestarem militare. Ab autumno anni h. s. LXVIII. usque ad autumnum anni LXIX candidatus probandus fui in gymnasio, in quo ipse eruditus eram; deinde usque ad hoc tempus functus sum munere praeceptoris gymnasii Gorliciensis.' — Proposuit librum *Die lateinischen Vagantenlieder des Mittelalters.*

FRIDERICUS GUILIELMUS AEMILIUS BANNERT. 'Im älterlichen Hause zu Ostrosnitz von Privat-Lehrern unterrichtet, wurde ich im Alter von 14 Jahren von der Gymnasial-Prüfungs-Commission zu Leobschütz für die Secunda als reif erklärt. — Ein Gymnasium besuchte ich nicht, genoss aber bis zum 16. Lebensjahr bei Gymnasial-Lehrern in Leobschütz Privatunterricht, mit den Lehrgegenständen der Prima gleichen Schritt haltend. Behufs Erlernung der Landwirthschaft, verweilte ich 2 Jahre in der Oeconomie der Herrschaft Ostrosnitz (Ober-Schlesien) und conditionirte bis zum Alter von 21. Jahren auf der Majorats-Herrschaft Karwin (Oestreich. Schlesien). Von dort aus besuchte ich vier Semester von 1866—1868 die landwirthschaftliche Akademie Proskau, studirte dann ein Semester auf der landwirthschaftlichen Akademie in Berlin und das sechste Halbjahr am landwirthschaftlichen Institut zu Halle.' Libellus ejus inscriptus est *Thaer's Lehren über Pflanzennahrung und Ersatz und ihr Einfluss auf die Entwickelung der Landwirthschaft.*

IGNATIUS GOLZIHER. 'Ich bin in Stuhlweissenburg in der gleichnamigen Gespannschaft Ungarns am 22. Juni 1850 von jüdischen Eltern geboren. Nachdem ich meine Gymnasialstudien theils in meiner Geburtsstadt am Gymnasium des Cisterzienser-Ordens, theils am reformirten Gymnasium in Pest betrieben, hörte ich seit Oktober 1866 an der philosophischen Fakultät der Pester Universität philosophische, historische, philologische und orientalistiche Vorträge bei den Herren Professoren und Docenten Budenz, Cyrillus Horwáth, Kerékgyártó, Ruzicska, Jombegyi, Toldy, Riedl, Télfy und Vámbéry. Zur Fortsetzung meiner orientalischen Studien habe ich mit Unterstützung Seiner Excellenz des Baron Joseph v. Eötvös kön. ung. Ministers für Cultus und Unterricht im Oktober 1868 die Universität Berlin bezogen und hörte daselbst zwei Semester hindurch die Vorträge der Herren Professoren und Docenten

Dieterici, Haarbrücker, Lepsius, Rödiger und Wetzstein; ich frequentirte auch die Vorträge des Herrn Dr. Steinschneider über jüdische Literatur an der Veitelcheme-Ephraim'schen Lehranstalt. Zu Michaelis 1869 bezog ich die hiesige Universität, an welcher ich die Vortäge der Herren Professoren Drobisch, Fleischer und Krehl hörte.' — Scripsit *Studien über Tanchûm Jerûschalmi.*

JOANNES ERNESTUS DELITZSCH. 'Natus sum Rostochii in Magniducatu Megalopolitano a. d. III. Non. Sext. anni h. s. XLVI patre Francisco Delitzsch Lipsiensi, eo tempore illa in universitate theologiae professore. Post quatuor fere annos cum pater Rostochio in universitatem Friderico-Alexandrinam Erlangensem esset vocatus, admodum puer in Bavariam commigravi. Ubi primis literarum elementis a ludimagistris imbutus gymnasium Erlangense frequentavi, quod tum Doederlinii florebat auspiciis. Cujus scholae egregia disciplina per octo annos usus anno h. s. LXIV ejusdem urbis universitatem adii, theologiae potissimum operam daturus. Inde altero studiorum meorum anno Tubingam literarum cultricem transmigravi, ubi per unum annum cum alios viros doctissimos tum Beckium atque Oehlerum docentes audivi. Ad Erlangensem deinde uuiversitatem reversus Hofmanni, Thomasii, patris carissimi aliorumque virorum illustrissimorum continuata usus sum institutione. Nec vero mihi contigit, ut in Bavaria studia perficerem; etenim patre anno MDCCCLXVI in patriam revocato mihi quoque Erlanga, id quod non putaram, relinquenda erat, quae quidem urbs, in qua cum parentibus septendecim annos transegeram, altera quasi mihi exstiterat patria. Lipsiae igitur deinceps literarum studiis unum per annum incubui, quo interjecto a venerando theologorum ordine quantum profecissem examinatus ad Tubingensem carissimam academiam rursus me contuli. Ubi Landerero magistro dilectissimo cohortante atque etiam adjuvante animum ad omnium scholasticorum principem convertere coepi, Thomam illum Aquinatem, cujus doctrinam de Deo exponere mihi proposui.' Ex his studiis profectus est libellus quem inscripsit *Die Gotteslehre des Thomas von Aquino, kritisch dargestellt.*

FRIDERICUS HERMANNUS RAU. 'Natus sum Zittaviae pridie Non. Febr. anni hujus saeculi XXXXVIII patre Friderico Julio, matre Eleonora e gente Feurichiana, quos adhuc vivos summa pietate colo. Fidem profiteor evangelicam. Ludos urbis patriae publicos cum inde a sexto anno aetatis usque ad duodecimum frequentassem gymnasium Zittaviense quod Henrici Kaemmeli auspiciis faustissumis floret, adii ibique post sexennium examine superato Lipsiam me contuli, studiis philologicis et historicis operam navaturus. In hac litterarum sede per VII semestria versatus scholis usus sum philologicis Ritschelii, Curtii, Klotzii, Zarnckii, Schönii, Brockhausii; historicis Voigtii, Wuttkii, Pückertii, Wenckii; philosophicis Drobischii, Ahrensii; paedagogicis Ecksteinii; archaologicis Overbeckii. Seminarii regii philologici sodalis ordinarius per biennium fui et seminarii regii paedagogici per annum socius extraordinarius. Exercitationes grammaticas G. Curtii; philologicas Klotzii; historicas Wuttkii et Pückerti frequentavi. Quibus viris omnibus doctissimis et illustrissimis atque optime de me meritis gratias habeo quam maximas semperque habebo.' — Libellum proposuit *De praepositionis παρά usu.*

ERNESTUS ACHATIUS HERMANUS HAGER. 'Natus sum a. d. XIII. Cal. Maj. a. MDCCCXLVI Elstrae, oppido in Lusatia superiore sito, patre Guilelmo, nunc verbi divini apud Reichenbachenses Lusaticos interprete, matre Guilelma e gente Siedeliana. Fidei addictus sum evangelicae. Elementis litterarum imbutus

a. LVIII adii scholam a liberis Murariis Dresdae conditam, ab a. LX scholam provincialem Afranam frequentavi, quae Fr. Frankio rectore et tum florebat et nunc floret. Inde examine feliciter superato a. LXVI in almam universitatem Lipsiensem transii ibique in philologiae studia per octo semestria incubui; usus sum praeceptoribus Ahrensio, Curtio, Drobischio, Eckseinio, Fritzschio, Klotzio, Overbeckio, Ritschelio, Schoenio, Voigtio, Wuttkio. Curtii, Klotzii, Ritschelii benevolentia factum est, ut per tria semestria seminarii philologici regii sodalis essem ordinarius, per sex menses Overbeckii exercitationibus archaeologicis et Voigtii historicis interfui, Eckseinii seminario paedagogico et societati Ritschelianae etiam nunc adscriptus sum. Omnibus his qui me instituerunt viris doctis gratias quam maximas et nunc ago et habebo semper.' — Scripsit *Quaestionum Hyprideanum capita duo.*

JOANNES FRIDERICUS THEODORUS BRIEGER. Natus est Gryphiswaldae a. h. s. XXXXII patre puellarum praeceptore, matre Lubecensi e gente Reimers. Cum decem annos ageret gymnasio urbis patriae traditus est, cui tum Rob. Henr. Hiecke praeerat. Huic viro egregio et Conrado Niemeyer atque Ottoni Nitzsch qui ejusdem scholae magistri fuerunt se gratissimum profitetur. A. LXI ibidem universitatis civibus adscriptus est. Audivit viros clarissimos Schirmer, Vogt, Hanne, Reuter, Diestel theologiam, George philosophiam, Ahlwardt grammaticam hebraicam docentes. Post anni spatium Erlangam se contulit, ubi virorum doctissimorum v. Hofmann, Delitzsch, Thomasius, Harnack, Schmidt, Franck, Carl v. Raumer institutione usus est, inde vero Tubingam ut Beckium et Oehlerum audiret. Triennio absoluto Gryphiswaldam rediit ibique aliquantisper commoratus, ut Reuteri, Vogtii, Wieseleri lectionibus hospes interesset, ruri per complures annos pueros in privatorum hominum domibus educavit. Primo interim examine theologico feliciter superato Halas Saxonum adiit, ut in ejus urbis universitate theologiae historicae docendi veniam capesseret. Omnium praeceptorum suorum plurimum dicit se debere Hermanno Reuter, professori nunc Vratislaviensi. — Libellus ejus inscriptus est *Gasparo Contarini und das Regensburger Concordienwerk des Jahres* 1541.

FRANCISCUS OTTO PAZSCHKE. 'Ich wurde geboren zu Mökritz den 20. Juni 1843. Den ersten Elementarunterricht erhielt ich durch einen Hauslehrer und nach dessen Abgang bereitete mich der Pfarrer des Ortes zum Besuch der Realschule zu Neustadt-Dresden vor. Letztere Anstalt besuchte ich vom August 1854 bis Ostern 1859. Die Zeit von Ostern 1859 bis ebendahin 1866 war ich in verschiedenen Apotheken zu Halle und Brandenburg beschäftigt. Der Sommer 1866 wurde zur Vorbereitung für das akademische Studium benutzt, und im Wintersemester 1866—67 wurde ich zu Leipzig als Student der Pharmazie immatriculirt. Nachdem im Wintersemester 1867—68 die pharmazeutische Staatsprüfung absolvirt war, studirte ich noch weitere 3 Semester Chemie und verliess mit dem Sommersemester 1869 die Universität. Meinen hochverehrten Lehrern, den Herren Professoren Kolbe, Hankel, Naumann, Hirzel, Radius und Herrn Dr. Frank, welche mir von dem reichen Schatze ihrer Kenntnisse und Erfahrungen in ihren Vorlesungen und Uebungen in so reichem Masse zu Theil werden liessen, erlaube ich mir hiermit meinen aufrichtigsten und wärmsten Dank auszusprechen.' — Scripsit *Beiträge zur Kenntniss des Epichlorhydrins.*

EDUARDUS OTTO KRAUSE. 'Geboren am 26. März 1845 in Leuba bei Ostritz als Sohn des dortigen Kirchschullehrers Heinrich Eduard Krause, genoss ich den ersten Unterricht im väterlichen Hause. Ostern 1857 wurde ich Schüler des Gym-

nasiums zu Zittau, das ich Ostern 1865 nach bestandener Maturitätsprüfung verliess, um mathematische und naturwissenschaftliche Studien auf der Universität Leipzig zu treiben. Den letzteren, besonders dem Studium der Chemie, wandte ich mich später vorzugsweise zu. Ich hörte dort ausser den chemischen philosophische, physikaliische, mineralogische und geschichtliche Collegien und war Mitglied des pädagogischen Seminars. Michaelis 1867 wurde mir das Glück zu Theil, von Hrn. Geh. Hofrath Prof Dr. Erdmann zum Vorlesungsassistenten des I. Univ.-Laboratoriums erwählt zu werden. Dass ich in dieser Stellung reichlich Gelegenheit hatte, meine Kenntnisse zu vermehren, wird mich immer zu lebhaftem Danke verpflichten. Im December 1868 bestand ich das für Candidaten des höheren Schulamtes vorgeschriebene Examen (Sect. II), worauf ich die Aufforderung erhielt, eine Lehrerstelle an der Realschule zu Annaberg zu übernehmen. Seit dem 1. April 1869 bin ich an dieser Anstalt vorzugsweise mit dem chemischen und einem Theile des physikalischen Unterrichts betraut.' — Scripsit *Ueber Phosphorkupfer.*

CAROLUS FRIDERICUS GUSTAVUS HEY. 'Natus sum in vico Altenburgensi Peneg die secundo anni h. s. XLVII patre Augusto, matre Augusta e gente Vogel. Fidei addictus sum evangelicae. Quatuor annos nato mecum parentes, quos hodie vivere maxime laetor, Dessasariam se contulerunt, ubi a. LVII gymnasio traditus ejusque magistrorum disciplina benevolentiaque per octo annos usus sum. Examine maturitatis superato a. LXV Lipsiae civibus academicis ascriptus philologiae studiis me dedi et per tres annos et dimidium scholas frequentavi virorum doctissimorum Ahrensii, Brockhausii, Curtii, Eberti, Ecksteinii, Fritzschei, Klotzii, Masii, Pueckerti, Ritschelii, Schoenii, Seydelii, Voigtii, Wenckii, Zarnckei; nec non interfui exercitationibus philologicis, quae et in seminario regio et in societate Ritscheliana et Zarnckiana coluntur, paedagogicis Ecksteinii. Illis autem viris omnibus optime de me meritis gratiam quam possum maximam et habeo et semper habebo.' Scripsit *De dialecto Cretica.*

CAROLUS LUDOVICUS ADOLPHUS BLOMEYER. De vita sua collega honoratissimus, qui nunc professoris ordinarii munere inter nos fungitur, haec ad nos scripsit: 'Ich bin am 24. Februar 1830 auf der nahe bei Cassel gelegenen Staatsdomäne Frankenhausen geboren; mein Vater war der Pächter derselben. Nachdem ich einige Jahre von einem Hauslehrer war unterrichtet worden, besuchte ich bis Ostern 1846 das Gymnasium in Cassel. Meines Vaters Bruder war damals Staatsrath in Meiningen, auf seinen Wunsch siedelte ich als Obersecundaner nach dort über, kehrte jedoch im Herbst 1848 nach Cassel zurück, und bestand zu Ostern 1849 mein Abiturienten-Examen. Trotz entschiedener Neigung zum landwirthschaftlichen Beruf wurde ich, da bereits zwei ältere Brüder Landwirthe waren, zum Juristen bestimmt und bezog als Studiosus juris die Universität Heidelberg und nachher Ostern 1851 die Universität Marburg. Im November des letztgenannten Jahres starb mein Vater; die Neigung zur Landwirthschaft war noch immer in mir lebendig; ich beschloss desshalb noch jetzt zu ihr überzugehen, jedoch nicht ohne die juristischen Examina zu machen. Das erste derselben habe ich im Mai 1852, das Doctor-Examen im Juni dess. J. „summa cum laude" und die grosse Staatsprüfung im Februar 1853 bestanden. Man machte in Kurhessen nur zwei juristische Examina und da ich in dem letzten den ersten Grad erhalten und für die Obergerichts-Carriere designirt und bestellt wurde, so war ich nunmehr in der Lage mir die nöthige Musse für meine Lieblings-

Studien zu schaffen. Von dem Obergericht zu Fulda liess ich mich an das Untergericht Gubenstein, welches dem in den Händen meines ältesten Bruders verbliebenen Gute Frankenhausen ganz nahe gelegen ist, committiren. Meine Stellung war dabei eine sehr freie, im Sommer war ich als Verwalter auf dem Gute, im Spätherbst und Winter arbeitete ich am Gericht. Zu Ostern 1854 nahm ich jedoch bis auf Weiteres Urlaub und wurde derselbe erst 1858 beendigt, als ich bereits 2 Jahre in Schlesien ansässig war. Man reclamirte mich damals von meinem Obergericht und ich antwortete mit dem Entlassungsgesuch. Ich hatte mich 1856 in Schlesien niedergelassen, die Zwischenzeit von 2½ Jahren ausschliesslich der Landwirthschaft gewidmet. Kurze Zeit war ich in Hohenheim als Hospitant, auf Reisen in Würtemberg, Rheinprovinz, Holland und Frankreich, ¾ Jahr auf der Domäne Schlanstädt (Provinz Sachsen) bei Amtsrath Rimpau und ½ Jahr Administrator auf dem Gute eines Verwandten bei Frankfurt a. M. Mein schlesisches Gut gab ich 1860 ab um das heimathliche Gut, das eins der grössten und schönsten in Kurhessen ist, zu übernehmen. In Frankenhausen blieb ich bis zum Juli 1865; da cedirte ich die Pacht, um die Direction der süddeutschen Ackerbaugesellschaft zu übernehmen. Während meines Aufenthalts in Dresden, wo ich die Interessen der Gesellschaft auf der Wanderversammlung deutscher Land- und Forstwirthe zu vertreten hatte, suchte mich der Director der Königl. Academie in Proskau, Geh. Regierungsrath Settegast für die eben erledigte erste Lehrerstelle für Landwirthschaft zu gewinnen. Ich ging nach längerer Ueberlegung darauf ein und bin in Proskau 3½ Jahr als Docent gewesen, wobei ich nach Jahresfrist in den definitiven Staatsdienst übertrat und dann zum Professor ernannt wurde. Im Frühjahr 1869 erhielt ich meine Berufung als ausserordentlicher Professor und Director des neu zu gründenden landw. Institut's nach Leipzig.' — Proposuit complura scripta rem rusticam illustrantia.

JULIUS GUILIELMUS FISCHER. 'Falkensteinii in Variscia a. d. VI Idus Febr. anno MDCCCXLVI, parentibus carissimis Christiano Godofredo Fischer medicinae doctore et matre Antonia e gente Lindaueriana Bohema. Puer quinque annorum Adorpium missus sum, ubi usque ad annum decimum tertium apud Julium Justium, ecclesiae illius oppidi diaconum, cognatum prima literarum elementa discebam. Deinde gymnasium Plaviense, quod auspiciis doctissimi rectoris Palmii florebat, adii, unde sex annis peractis Dietschius qui interim Palmio successerat, testimonio maturitatis instructum me dimisit. Duobus annis aute, pater meus carrissimus, cuius memoria mihi semper in imis medullis haerebit, morte abreptus est typho tum per Varisciam grassante. Anno igitur MDCCCLXV Lipsiae in civium academicorum numerum receptus sum, ut philologiae studiis operam darem. Postero autem anno mense Junio eodem morbo quo pater mortuus est correptus fere usque ad mensem Decembrem in nosocomio Lipsiensi aegrotavi. Aeger etiamtunc Plaviam ad matrem profectus ibi sex menses ad sanitatem recuperandam degebam; quibus peractis iterum Lipsiam me contuli et per annum in domum receptus viri venerabilis Keilii, legationi olim Saxonicae adjuncto, tres liberos educavi et erudivi. Interfui scholis virorum clarissimorum Ahrens, Curtius, Drobisch, Eckstein, Flathe, Klotz, Minckwitz, Masius, Overbeck, Pückert, Ritschl, Seydel, Voigt, Wenck, Wuttke, Zarncke. Seminarii regii philologici fui socius extraordinarius, frequentavi societatem germanicam Zarnckii, archaeologicam Overbeckii, Latinam Klotzii, seminarium paedagogicum Eckstein, societates historicas Voigtii et Pückerti. Quorum virorum omnium memoriam pie grateque

usque retinebo.' — Scripsit *De fontibus et auctoritate Cassii Dionis in enarrandis a Cicerone post Caesaris mortem a. d XVI Kal. Apr. de pace, Kal. Jan. anni a. Chr. n. 43 habitis orationibus.*

CONRADUS FERDINANDUS ERNESTUS CLEMM. 'Ich wurde geboren zu Würzburg am 19. September 1843, wo mein verstorbener Vater, Dr. Gustav Clemm, eine Apotheke besass. Dieser übernahm jedoch bald darauf die Apotheke in Ohrdruf bei Gotha. Den ersten Unterricht empfing ich in Mannheim, wohin meine Aeltern von Ohrdruf aus gezogen waren und wo ich später auch die untersten Classen des Lyceums besuchte. Im Herbste 1856 kam ich nach Dresden in die Gymnasialabtheilung des dortigen Krause'schen Institutes, welches ich nach Absolvirung der Secunda Ostern 1859 verliess, um mich durch Privatunterricht bei den Herren Dr. Witzschel und Dr. Kahl in Dresden zum Eintritt in den ersten Cursus der Fachschule für mechanische Technik an dem dortigen Polytechnikum vorzubereiten. Ostern 1860 wurde ich in diese Anstalt aufgenommen. Von Ostern 1861 an bis zum Schlusse des Sommersemesters 1863 hörte ich gleichzeitig Vorlesungen der Fachschule für mechanische und solche der Fachschule für chemische Technik nach eigener Auswahl und arbeitete dabei practisch im chemischen Labatorium des Herrn Professor Stein. Nachdem ich im Sommer 1863 an der Maturitätsprüfung beider Fachschulen in denjenigen Fächern, welche ich gehört hatte, mit Erfolg theilgenommen. trat ich als Chemiker in eine Fabrik verschiedener Kalisalze in Stassfurt, für welche ich während des Winters 1863—1864 in Berlin im Sonnenschein' schon Laboratorium arbeitete und in welcher ich bis Ende des Jahres 1855 verblieb. Ostern 1866 ging ich darauf als Praktikant in das chemische Laboratorium des Herrn Professor Fresenius in Wiesbaden, in dessen Privatlaboratorium ich mit Beginn des Wintersemesters Volontär-Assistent wurde und bis Ostern 1867 verblieb, zu welcher Zeit ich die Stelle des ersten Assistenten am chemischen Laboratorium des Herrn Professor Rosenstiehl in Mühlhausen (Elsass) erhielt. Ich verblieb in dieser Stellung ein Jahr lang und wurde dann auf die gütige Veranlassung des Herrn Professor Kolbe hin als Assistent an dessen Laboratorium hierselbst angestellt. Ich kann diese Lebensskizze nicht schliessen ohne hervorzuheben, wie vielfache Gelegenheit und Anregung zu weiterer wissenschaftlicher Ausbildung ich namentlich durch meine jetzige Stellung und meinen verehrten Chef, Herrn Professor Kolbe, erhielt, welchem ich mich dafür sowie für sein mir so oft durch Rath und That bewiesenes Wohlwollen zum aufrichtigsten Danke verpflichtet fühle.' — Scripsit: *Ueber die der Pikrinsäure und die dem Dinitrophenol entsprechenden Haloidverbindungen.*

JOANNES RICARDUS MUCKE. Natus est Pirnae d. XXIII m. Martiii a. h. s. XXXXVI patre mercatore, primis litterarum elementis in schola civica oppidii patrii instructus. Afrani Misniensis, deinde gymnasii Fribergensis discipulus fuit. Anno LXVI Lipsiam se contulit, ubi juris scientiae et oeconomiae publicae operam navaret. Audivit igitur maturitatis examine in schola Thomana superato viros clarissimos Ahrens, Albrecht, Birnbaum, Drobisch, de Gerber, Heinze, Müller, Roscher, Schletter, Pückert, Wenck. — Librum tradidit qui inscribitur *Zur Vorgeschichte des deutschen Zollvereins, insbesondere die Bestrebungen des mitteldeutschen Vereins gegen den preussischen Zollverein.*

JOSEPHUS REITZES. 'Ich wurde am 30. Juli 1847 zu Wien geboren; meine Eltern sind Moritz Reitzes, Banquier und Fabrikbesitzer zu Wien, und Eleonore

Reitzes. Meine Gymnasialstudien legte ich in den Jahren 1857—1866 am k. k. akad. Gymnasium und an dem der PP. Schotten (Benediktiner) zu Wien zurück, und bezog mit dem von der letzteren Anstalt ausgestellten Zeugniss der Reife sofort (Oct. 1866) die Universität Leipzig. Nach einem Aufenthalte von zwei Semestern an dieser Universität, kehrte ich nach Wien zurück, wo ich nunmehr bereits seit fünf Semestern an der Universität immatriculirt bin. Während dieser Zeit habe ich die rechtshistorische Staatsprüfung mit Erfolg bestanden.' — Scripsit *Zur Geschichte der religiösen Wandlung Kaiser Maximilian's II.*

ERNESTUS ARTHURUS FERDINANDUS ..OEHLER. 'Den 14. Februar 1843 bin ich auf dem Vitriol- und Schwefelwerke Silberhoffnung zu Beierfeld bei Schwarzenberg geboren. Mein Vater, der Besitzer des Werkes, übergab mich, nachdem ich zwei Jahre in der Dorfschule zu Beierfeld unterrichtet worden war, der Selectenschule zu Schwarzenberg, welcher ich bis zur Confirmation angehörte. Von Ostern 1857 bis dahin 1863 besuchte ich die Thomasschule zu Leipzig und bezog dann mit erlangtem Zeugniss der Reife die Landesuniversität, um Theologie zu studiren. Nach zwei Semestern jedoch entschloss ich mich, Lehrer zu werden und wendete mich deshalb sprachlichen, historischen und pädagogischen Studien zu. Während meiner Studienzeit hatte ich das Unglück, meine Eltern zu verlieren. Im August 1864 starb mein Vater und im September 1866 ward meine Mutter in Leipzig von der Cholera dahin gerafft. Ich selbst von der schrecklichen Epidemie ergriffen, entging, Dank der trefflichen Pflege im Krankenhause, dem Tode. Am 22. Dezember desselben Jahres bestand ich die Prüfung für Candidaten des höheren Schulamtes II. Section. Nachdem ich ziemlich 2 Monate lang durch Privatstunden meinen Lebensunterhalt erworben, fand ich im Februar 1867 eine Anstellung als Hilfslehrer an der 4. Bürgerschule zu Leipzig. Nach viermonatlicher Wirksamkeit an dieser Anstalt wurde ich provisorischer Lehrer an der ersten Bürgerschule. Als solcher fungirte ich, bis ich Ostern 1868 auf meine Bewerbung eine Vocation als Oberlehrer an die Realschule zu Chemnitz erhielt. An dieser Anstalt ertheile ich vorzugsweise in deutscher und französischer Sprache sowie in Geschichte Unterricht.' — Libellus ejus inscriptus est *Hrabanus Maurus und die Schule zu Fulda.*

ARNOLDUS WOLDEMARUS FREGE. 'Ich bin am 30. October 1846 zu Leipzig geboren, Sohn des Rittergutsbesitzers Professor Dr. Frege daselbst, wurde bis Ostern 1858 von Hauslehrern unterrichtet, besuchte dann die Schule des Dir. Teichmann drei Jahre lang, von Michaelis 1861 bis Ostern 1865 das Königliche Pädagogium zu Halle a/S., trieb von Ostern 1865 bis Ostern 1867 praktische Landwirthschaft auf dem Rittergut Imnitz bei Zwenkau und studirte von Ostern 1867 bis Ostern 1868 Cameralia und Landwirthschaft auf der Universität Halle, darauf ein Semester in Bonn und von Michaelis 1868 bis Michaelis 1869 in Halle, worauf ich Michaelis 1869 die Universität Leipzig bezog.' — Libellus ejus inscriptus est *Zur Lohnbewegung der letzten hundert Jahre.*

LIPSIAE, TYPIS A EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.

MEMORIAM

FRIDER. AUGUSTI GUILELMI SPOHNII

D. XX. MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXX

HORA XII

IN AUDITORIO MEDICORUM

GRATIOSI ORDINIS CONCESSU

SOLLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

GEORGIUS CURTIUS
PHILOS. DOCT. PHILOL. PROF. P. O. ETC.
ORDINIS PHILOS. H. T. DECANUS.

PROOEMIUM EST DE ADJECTIVIS GRAECIS ET LATINIS L LITTERAE OPE FORMATIS.

LIPSIAE
TYPIS A. EDELMANNI TYPOGR. ACAD.

Inter Graecam Latinamque linguam quin artum cognationis vinculum intercederet, nec veteres dubitaverunt, qui quidem utriusque sermonis cognitione uterentur, nec posteriorum temporum homines doctiores. Est autem haec sive cognationis sive propinquitatis notio nequaquam certis finibus circumscripta. Nam et filius patri genere propinquus est et nepos avo et fratres inter se et ei, qui quod ab eodem avo vel ab eadem avia progeniti sunt, a Graecis *ἀ-νεψ-ιοί*, id est, quasi connepotii, a Romanis consobrini vocantur. Et naturalis quidem inter homines propinquitatis gradus veteres, quoniam hoc uniuscujusque intererat, accuratissime distinxerunt et definierunt, quae vero inter varias variarum gentium linguas et inter ipsas quae eis utebantur gentes necessitudinis ratio esset, vel doctissimi grammatici et philologi diu tam parum curabant, ut vix quaerendi operam darent, indictaque, ut ita dicam, causa Latinam linguam Graeca natu minorem ac vel filiam ejus esse confidenter declararent. Ac nostris quidem temporibus quis est, qui diversas illas opiniones de Graeca aut totius linguae Latinae aut partis ejus origine, vel de mixtura quadam inter Pelasgorum et Italorum inventa, vel de dialecto Aeolica, quae quam varia fuerit nostra demum memoria demonstratum est, Latinae linguae genetrice credat ac fere noverit? Adeo hae conjecturarum nebulae dispersae sunt clara illa luce, quae ex oriente studiis etymologicis affulsit, post divinandi pericula ad altiorem sciendi gradum evectis. Verum ut fit in rebus difficilibus et intricatis, falsa opinione feliciter expulsa firmoque quodam fundamento jacto, novae statim quaestiones et dubitationes ortae sunt. Nam cum apud omnes jam constaret utriusque linguae matrem, ut ita dicam, eam fuisse, ex qua tamquam ex communi stirpe omnes, quas nunc indogermanicas dicimus, linguae procreatae sunt, apud plerosque, artiorem

quandam inter sororem Graecam et Latinam necessitudinem statuendam esse, de gradu tamen et ratione hujus necessitudinis multum disceptatum est. Ac Boppius, hujus disciplinae inventor et gravissimus auctor, cum eis qui proxime eum secuti sunt, hanc controversiam paulo subtiliorem et magis reconditam ne movit quidem. Mommsenius autem cum in rerum Italicarum initia et incrementa inquireret, primus eam sententiam proposuit et egregio suo operi quasi substruxit, linguam Graecam cum Latina Oscaque et Umbrica et quae praeterea fuerunt vetustioris Italiae dialecti ab eis quae nominatae sunt non multum diversae, strictiore vinculo conjungi, suo enim quodam rivulo primum conjuncto, postea demum in duas partes distracto, has linguas ab eodem fonte esse deductas. Idem vir doctissimus communem hanc utriusque et linguae et gentis antiquitatem Graecoitalicam nominavit. Neque tamen omnes homines docti, quorum quidem de his rebus judicium est, ei adstipulati sunt. Fuerunt, qui Graecos cum Indis Persisque artius conjungendos esse, Italos vero ad septentrionalium nationum loquendi et vivendi rationem propius accedere contenderent. Et postquam Celtarum linguae accuratius exploratae et vel vetustissimorum Gallorum sermonis reliquiae quaedam ex soli Italici Gallicique tenebris in lucem protractae sunt, Italos Celtarum fratres natu proximos, Graecorum fratres quidem, sed paulo remotiores esse statuit Augustus Schleicher, qui ut comparationem illam, qua ante usus sum, continuem, bipertiti rivi Graeco-Italici loco tripertitum quendam Graeco-Italo-Celticum olim fuisse existimavit. Quae cum ita sint, mihi quidem ad finem hae quaestiones nondum perductae esse videntur, nec poterunt perduci nisi diligentiori opera et majore doctrina in hoc argumentum adhibita, ab omnibus adhuc fere in transcursu tractatum. Hoc autem mihi extra omnem dubitationem positum est, majorem Italicarum linguarum cum septentrionalibus cognationem demonstrari nullo modo posse, Graecam autem et Latinam linguam, quamvis haud pauca in eis antiquitus discrepent, tamen gravissimarum in litterarum sonis servandis mutandisque et in accentibus ponendis et in nominibus declinandis derivandisque regularum vinculo ita inter se copulari et constringi, ut etiam genere inter se proximae habendae sint. Itaque etiamsi fortasse verum est duabus his sororibus germanis tertiam Celticam addendam esse, qua de re vel nunc in tanta vetustiorum monumentorum Celticorum penuria difficile judicatur, interim operae pretium erit diligenter excutere quaecunque Graecorum lingua cum Italica communia habet. In quo haud raro

paulo accuratiore indagatione opus est, ne ea diversa habeamus, quae primum tantum inspicienti speciem quandam diversitatis praebent. Quare cum aliis occasionibus oblatis verborum utriusque linguae formas et conjugationum classes tractassem, vocaliumque mutationes et accentuum antiquitates tetigissem, hoc Latine scribendi munere ita uti constitui, ut ex amplissima illa, quae est de nominibus formandis et derivandis quaestione, magnis etiamnunc tenebris involuta, particulam quandam in medium proponerem.

Ingens numerus est adjectivorum Latinorum *l* litterae ope formatorum, quorum nominativus singularis generis masculini aut in *lu-s*, aut in *li-s* exit, praemissis consonae mollissimae aut brevibus vocalibus *u*, *i*, aut *â*, *ê*, *î*, *û*. Diversorum generum exempla sint *credulus*, *nubilus*, *facilis*, *similis*, *vitâlis*, *fidêlis*, *civîlis*, *edûlis*. Plura enumeraverunt et descripserunt Ramshorn Latein. Synonymik (Lips. 1831) I p. LXVIII sqq., Boppius Vergl. Gr. III § 937 sqq., Pottius Etymol. Forsch. II[1] 602, II[2] 542, Leo Meyer II 196. Horum adjectivorum simillima sunt Graeca, quae *λο-ς*, *λη-ς*, *λιο-ς*, *λεο-ς*, *λι-ς* syllabis terminantur, aut nulla vocali, aut quinque vocalium brevium longarumve una praemissa, de quibus vocabulis Lobeckius in pathologiae sermonis Graeci prolegomenis p. 36 sqq. ea qua solet subtilitate disputavit. Totius varietatis exempla haec sint: *δειλός*, *τροχαλός*, *ἴκελος*, *ὀργίλος*, *καμπύλος*, *Ὀζόλης*, *σιγηλός*, *ἁμαρτωλός*, *ἀπατήλιος*, *ἀνεμώλιος*, *αὐαλέος*, *ῥωμαλέος*, *φύξηλις*. Nec formae tantum et sonorum sed etiam significationis et usus similitudinem esse concedes, si inter se comparaveris

τροχαλός	et *tremulus*	*μίτυλος*	et *mutĭlus*
ὁμαλός	et *similis*	*χθαμαλός*	et *humilis*
εὐτράπελος	et *habilis*	*ῥωγαλέος*	et *fragilis*
ὀπταλέος, *ἑφθαλέος*	et *coctilis*	*ταρβαλέος*	et *terribilis*
καμπαλέος	et *tortilis*	*φρικαλέος*	et *horribilis*
γαμήλιος	et *nuptialis*	*ἀνεμώλιος*	et *animalis*

quorum exemplorum ea, quae non tantum terminatione, sed etiam stirpe inter se congruunt, litteris diductis insignivi. Quod si quaeris, quae sit horum adjectivorum significatio, non facile sane describitur et definitur id quod omnibus proprium est. Certum tamen est aliquid interesse inter *tremulum* et *trementem* et *tremebundum*, inter *coctilia* et *cocta*, inter *animata* et *animalia*, inter *fidum* et *fidelem*, inter *aequa* et *aequalia*, multum inter

virum et *vitalem*, inter *docilem* et *doctum*. Nec prorsus eadem sunt Graecis *κρέα ὀπτά* et *ὀπταλέα*, non magis quam Latinis cibus *assus* et daps *assaria*, quam dicit Cato r. r. 132, 2. Alio modo inter se distinguuntur *θρασύς* et *θαρσαλέος*, *λεπτός* et *λεπταλέος*. Concedimus usum Graecum nequaquam exaequare Latinum. Sed parvo discrimine nequaquam excluditur communis origo. Sua est enim uniuscujusque linguae ratio vel in eorum vocabulorum usu, quae quoniam et stirpe et terminatione inter se respondent, ab etymologo eadem dici possunt. Haud raro autem unum vocabulum alio quodam illustratur. Sic, ut exemplo utar, Ulixes mendicus Od. ρ 193

ἀμφ' ὤμοισιν ἀεικέα βάλλετο πήρην
πυκνὰ ῥωγαλέην

et manet haec in ceteris locis Homericis significatio, qua *ῥωγαλέος* fere nostrum *brüchig* vel *zerfetzt* exaequat. Hoc non inest in voce Latina ab eadem radice *frag* (Graece *Fραγ*) deducta, quae est *fragilis*, fragilia enim non fracta vel lacera dicuntur, sed quae facile franguntur. At ab alia radice synonyma, quae est *scid*, Romani, eadem terminatione usi, *scissilia* vocem formarunt, et haec habet eam quam quaerimus potestatem. ‚Homunculi enim *scissili* centunculo magis inumbrati quam obtecti', quos Apulejus Metam. IX, 12 in scaenam producit, Ulixi mendicanti non sane sunt dissimiles. Quare jam hoc, ut opinor, didicimus, errare eos, qui potestatis vel, ut vocabulo posterioris fabricae utar, possibilitatis notionem horum adjectivorum Latinorum propriam vel principalem fuisse putent. Haec aliena est a multis. Repudiant eam *similis*, *humilis*, *gracilis*, *sterilis*. Fibula *rasilis* ab Ovidio (Metam. VIII 318) non ea dicitur, quae radi potest, sed quae est rasa ac polita, *futile* vel *futtile* vas est id quod facile fundit (Etymol. p. 193), horreum *pensile* id, quod ita factum et exstructum est, ut pendeat, quam ob rem res *pensiles* non multum discrepant a *pendulis*, *fictilia* vocantur figuli arte fabricata, *vitiles* cistae viendo vel plectendo confectae, boves *altiles* qui aluntur et saginantur. Ac ne ea quidem, quae in plerisque conspicitur, vis passiva toti generi communis est. *Flebile* enim carmen id dicitur quod fletum, *horribile* facinus, quod horrorem movet, spongia *deletilis*, ad delendum vel diluendum apta, ager *fertilis* idem qui ferax, *stabilia* sunt quae standi facultatem habent, *alibilis* respondet Graeco *θρεπτικός*, nostro *nahrhaft*, *patibiles* et dolores appellari possunt, qui patiendi sunt, et homines ea natura praediti, ut patiantur ac sentiant. Etiam

in Graecis hujus generis adjectivis facillimus est ab activa ad passivam significationem transitus. Sic varius vocis ἁρπαλέος usus explicatur. Derivatur haec ab ea stirpe, quae ἅρπ-αξ, ἁρπ-άζω vocabulis supposita et a rapiendi verbo non diversa est. Itaque ἁρπαλέος et de homine usurpatur, qui quia celeriter corripit quaecunque sua esse cupit, ut hoc verbum ex aliorum, velut *credulus, tremulus*, similitudine fingam, quasi *rapulus*, vel nostra lingua *begehrlich* vocari poterit, et de re cupide quasi rapta vel correpta *(begehrt)*. Quare in Homeri carminibus legimus et ἤσθιεν ἁρπαλέως et κέρδεα ἁρπαλέα. ἕκηλος activum est, ἀεκήλιος (ἀεκήλια ἔργα) passivum, τροχαλός, δειλός, σιγηλός, λευγαλέος activa, στυφελός seu στυφλός, μίτυλος et *mutilus*, ὀπταλέος, ἐξίτηλος passiva vi praedita sunt. Multis sane horum vocabulorum, Latinorum maxime, hoc proprium est, ut facultatem quandam rei alicujus perficiendae significent, sed non omnibus. Ea quae in *ulu-s* exeunt, qualia sunt *querulus, tremulus*, Gustavus Müllerus in commentatione de deminutivis Latinis Regimonti 1865 edita p. 60 haud male dicit significare ‚indulgere aliquem alicui actioni‘. Iisdem verbis complurium adjectivorum Graecorum, de quibus agimus, potestas describi poterit, in his δειλός, σιγηλός, ὀτραλέος, ὀργίλος, σχέτλιος. Nec mirum est eadem terminatione animi inclinationem et facultatem significari. Ab utroque usu non multum distat is, quem multa horum adjectivorum habent, maxime ea, quae de rebus inanimis usurpantur, ut rem aliquam ad certum quendam usum factam vel paratam et aptam esse indicent, cujus generis exempla jam antea a nobis prolata sunt. Sic assequi quodammodo et mente nobis conformare possumus, qui fiat, ut etiam a nominibus magna horum vocabulorum pars derivetur. *Regalis* enim victus est regi aptus et accommodatus, *vitâlis* aura, quae vitam possit afferre et afferat, *virîlis* animus viro aptus eoque dignus, ἀνεμώλια βάζει qui ventis committenda loquitur, θαρσαλέος homo opponitur tremulo. Verum est, ne sic quidem summam horum vocabulorum ubertatem satis descriptam, nedum exhaustam esse. Sic, ut exemplis utar, non facile quis dixerit, quid sit, quo ab eo quod est ὁμό-ς discrepet ὁμ-αλό-ς et quod ei respondet *similis*, vel quae sit vis hujus terminationis in χθαμαλός vel χαμηλός et Romanorum *humilis*. Sed etiam in aliarum terminationum natura et vi exploranda nihil aliud assequi possumus, nisi ut quo vinculo multiplex usus contineatur, sentiamus magis et adumbremus, quam cognoscamus et demonstremus.

Quare cum jam eo perducta esse videatur disputatio nostra, ut haec

omnia, de quibus agimus, adjectivorum genera inter se cognata esse intellegamus, possumus ad eam quaestionem transire, quae est de sonis et formis eorum. In quo primum hoc manifestum est, simplicissimam et ob eam causam principalem formam harum terminationum esse *lo*, cui in lingua Sanscrita *la* respondet. Sic dudum cum Graecis et Latinis comparata sunt Sanscrita *tar-ala-s* tremulus, *tṛp-ala-s* trepidus, *k'ap-ala-s* mobilis, Gothorum *skath-ul-s* nocuus, Germanorum vetustissimorum *slâf-al* somnolentus (ὑπναλέος, ὑπνηλός), *scam-al* verecundus, mediae aetatis *wank-el* inconstans (cf. *Wankel*-muth), borealis linguae veteris *thag-all* σιγηλός, Anglosaxonum *frĕt-ol* edax, Lituanorum *ak-ýla-s* attentus a radice *ak* videre. Vocalium eadem fere est in tribus his linguis Europaeis inconstantia. Apud Romanos autem certum est *u* et *i* vocales saepissime in antiquioris *a* locum successisse. Idem haud raro fieri in vocabulis a Graecis in Italiam translatis, qualia sunt *Agrigentum* (Ἀκράγας), *Hecoba* vel *Hecuba* (Ἑκάβη), *patina* (πατάνη), *trutina* (τρυτάνη), *pessulus* (πάσσαλος) in vulgus constat. Ac ne ab eis quidem vocibus, quae ex antiquissima, ut ita dicam, hereditate Indogermanorum Italis servatae sunt, ut ὀμφαλός (*umbil-îcu-s*), *septumu-s* vel *septimu-s* (Sanscr. *saptama-s*) haec vocalium mutatio aliena est. Quo fit, ut in deminutivis quae eadem littera *l* utuntur, Graecae *a* vocali *u* respondeat: *vitulu-s* (ἰταλός), *crapula* (κραιπάλη), de quo vocabulorum genere diligenter exposuit Schwabius in libro, quem de deminutivis scripsit, p. 80.

Ab hoc igitur primo gradu ascendimus ad secundum. Nihil frequentius est in lingua Graeca quam ea derivatio, qua syllabis ιο ad stirpem aliquam nominalem adjunctis novum efficitur vocabulum, vi et usu a principali non admodum diversum. Sic ex ξένος factum est ξένιος, ex ἑκών ἑκούσιος, ex ἐλεύθερος ἐλευθέριος, ex καθαρός καθάριος, ex ὀρθός ὄρθιος, ex λοῖσθος λοίσθιος, ex ἄεθλον ἀέθλιον. Minus saepe haec derivatio in lingua Latina invenitur, quamquam non dubium est, quin eundem in modum *patr-ic-iu-s, natali-c-iu-s* a simplicioribus quibusdam Graeco πατρικός similibus, *aë-n-eu-s* ab *aē-nu-s* deflexum sit. Nam *e* ante vocales positum, et *i* in utraque lingua saepissime ejusdem originis sunt. Eodem igitur modo haec nova derivatio cum ea terminatione quae fuit *la* vel *lo* in novam quandam formam *l-ia* vel *l-ja*, ex qua *lio*, *leo* factum est, coaluerunt. Itaque σφονδύ-λιο-ς (Il. Υ 483) non magis diversum est a σφόνδυλο-ς, quam *aēneu-s* ab *aēnus*. αἱμύλος et αἱμύλιος, ἔκηλος et ἀεκήλιος,

ἀείκελος et *ἀεικέλιος*, *ἀείδελος* (*ἄϊδηλος*) et *ἀειδέλιος*, *ἀπατηλός* et *ἀπατήλιος* aeque in usu sunt. Nec quidquam interest inter *σιγηλός* et eam formam, quae posteriore demum tempore legitur, *σιγαλέος*, *νοσηλός* (Hippocr.) et *νοσαλέος* (Nonn.), *Ὀζόλης* et *ὀζαλέος* (Anthol.). Antiquior forma est *νηφάλιος*, posterior *νηφαλέος*. *Caerulus*, quo antiquissimi poetae usi sunt, cessit formae ampliori, quae est *caeruleus*, quae ab illa non longius distat quam deminutiva *haeduleus*, *equuleus*, *hinnuleus*, *aculeus*, *nucleus* (Schwabe p. 63) ab eis, quae in *ulu-s* cadunt. Itaque nisi aliquantulum immutatae essent litterae harum formarum, Graecis vocabulis, quae in *αλιος* vel *αλεος* exeunt, Latina in *uleus* sive *ilius* responderent. Jam vero dudum constat, syllabas *-io* et in Osca lingua et in Latina interdum ita quodammodo et contrahi et corripi, ut *o* illud prorsus evanescat. Qui enim Latine *Herennius* audit, is Osce *Herennis*, qui *Stenius Stenis*, eodem modo Romani antiquiores *Clodis*, *Caecilis* pro *Clodius*, *Caecilius* dixerunt. Sic *magis* factum est ex *magius*, *minis* in *minis-ter* pro eo quod fuit *minius*, *alis*, *alid* pro *alius*, *aliud*. Qua de re post Ritschelii commentationes de declinatione quadam reconditiore scriptas complures egerunt, e quibus Büchelerum nominasse satis erit (Grundriss der lat. Declination p. 11). Eodem igitur modo certum est ex vetustissimo *-lio* fieri potuisse *-li*, et in nominandi casu ex *lia-s* vel *liu-s li-s*. Ac probabile est hanc re vera fuisse frequentissimae illius *li-s* terminationis originem. Quae si recte conclusa sunt, jam non amplius mirabimur, quod omnia haec vocabula tam Graeca quam Latina adeo inter se concinunt. Nunc enim, ni fallor, intelleximus, *ῥωγαλέος* et *fragilis* prorsus aequalia esse, *ὁμαλός* autem et *similis*, *χθαμαλός* et *humilis* non majore intervallo separari, quam, quo antiquiores usi sunt, *sterilus* (*sterila* mulier Fest. p. 317) et *sterilis*, vel *gracilus* (Terent. Lucil.) et *gracilis*. Ceterum ne Graeci quidem ab eadem terminationis correptione prorsus abhorruisse videntur, siquidem *φύξηλις* Homericum a stirpe sigmatica *φυξ* (cf. *φύξ-ιμο-ς*) deductum et pauca nomina similis fabricae, quae Lobeckius in Proleg. p. 110 tractavit, eodem modo ex *φυξηλιος* et similibus formis facta sunt, quo Romanorum *li-s* ex *lio-s* correptum esse conjecimus. Nec desunt apud Graecos alia exempla syllabarum similem in modum correptarum. Quis enim dubitaverit, quin *δεξι-τερό-ς* ponatur pro *δεξιο-τερο-ς*, *ληι-βότειρα* pro *ληιο-βοτειρα*, *πρίν* pro *πρ-ιον* ut *pris* in *pristinu-s* pro *prius*?

Accedit autem tertium, quo totum hoc genus ad majorem etiam

varietatem pervenit. Nam ante syllabas *l* litteram continentes consonae quaedam inveniuntur, quae cum ad significationem nihil conferre videantur ex veteris grammaticae ratione vel pleonasticae dictae sunt vel non sine reconditae cujusdam sapientiae affectatione corroborandi causa insertae. Sic apud Romanos praeter *ili-s* exstat *bili-s*, *tili-s*, *sili-s*: *doeili-s*, *ût-ili-s* — *sta-bili-s*, *nô-bili-s* — *fer-tili-s*, *po-tili-s* — *pen-sili-s*, *mis-sili-s*. Et *s* littera in plerisque certe, si non in omnibus, haud dubie affectione notissima ex *t* facta est eodem modo, quo *mis-su-s* pro *mit-tu-s*, *pen-su-m* pro *pend-tu-m* dictum est. Restant *bili-s* et *tili-s*. In illo *b* littera fortasse eadem est quae in *bula* (*fa-bula*), *bulu-m* (*lati-bulu-m*) et *bundu-s* (*mori-bundu-s*) conspicitur, a Graeca lingua non minus aliena, quam ea, cujus ope futura et imperfecta formantur. Sed *t* consona, quamquam paulo rarius apud Graecos invenitur, tamen utrique linguae communis est. Exempla Graeca, quae reperire potui, haec sunt: *μί-τ-υλο-ς* a *mu-t-ilu-s* non diversum, de quorum origine egi Etymol. Gr. p. 670. Legitur quidem hoc vocabulum non ante Theocritum, sed et *Μιτυλήνη* nomen, et ipsa Latini vocabuli aequalitas documento est antiquissimum fuisse. Accedunt *ἐξ-ί-τ-ηλος* (Herodot. Plat.), *φυ-τ-άλιο-ς* et quae cum hac voce parum usitata cohaerent *φυτ·αλιά*, *φυτάλ-μιο-ς*, *ὀπ-τ-αλέο-ς*, *λεπ-τ-αλέο-ς*, *ἀϋσ-τ-αλέο-ς* (cf. *us-t-ul-are*), denique *σχέ-τ-λιο-ς*, quod vocali ante *λ* posita caret. Hoc vix dubito, quin lexicographi nostri recte cum *σχεῖν* conjunxerint, id est cum ea radice, quae vocabulis *σχέ-ς*, *σχέ-σι-ς*, *σχε-δόν*, *σχῆ-μα*, *σχο-λή* supposita est, ut quasi retentulum, ut ita dicam, vel durum proprie significaverit.

Adjectivorum, de quibus agitur, alia verbalium speciem prae se ferunt, alia denominativorum. Nam *βέβη-λο-ς*, *δει-λό-ς*, *τροχ-αλό-ς*, *εὐ-τράπ-ελο-ς*, *ἀ-εικ-έλιο-ς*, *ῥωγ-αλέο-ς*, *νηφ-αλέο-ς*, *cred-ulu-s*, *bib-ulu-s*, *fac-ili-s*, *flê-b-ili-s*, *sci-b-ili-s*, *duc-t-ili-s*, *scan-s-ili-s* verbalia esse videntur. *χθαμαλό-ς* contra et *humili-s*, *ὁμαλό-ς* et *simili-s*, *ψωραλέο-ς* et *vitâli-s*, *κερδαλέος*, *θαρσαλέος*, *γηρ-αλέος* et *senilis*, *nûbilu-s*, *parili-s*, *aequâli-s* non possunt non esse denominativa. Etiam in Sanscrita lingua praeter ea, quae supra attuli, *tarala-s* et quae sunt similia, inveniuntur alia, velut *pâñçula-s* pulverulentus, *phênala-s* spumosus, ex nominum stirpibus derivata. Verum non ubique facilis est utriusque classis distinctio, in qua nec significatione, nec syllabarum intermediarum quantitate satis adjuvamur. *ἀπατηλό-ς* et *ἀπατήλιο-ς* et *σιγηλό-ς* (Pind. *σιγᾶλός*) *η* suum nominibus quae sunt *ἀπάτη* et *σιγή* debere videntur, eadem origo esse potest ejusdem vocalis in Latino

fidêli-s, sed *φύξηλι-ς* non habet similem stirpem nominalem, ex qua derivetur. In *ἀνεμώλιο-ς ω* vocalis non magis diversa videtur a brevi *o* vocis primitivae, quam producta *â* littera Latini *animâli-s* a postrema vocali substantivi *anima.* Sed *ἁμαρτωλός* unde vocalem suam acceperit, non magis assequimur, quam unde *u* producta venerit in Latino *edûli-s.* Jam vero dentalis illa littera, quae in utraque lingua ante eas terminationes, de quibus agimus, quodammodo inseri videbatur, fere non potest aliter explicari, nisi ita, ut stirpis nominalis magis primitivae indicium sit, ex qua *l* consonae ope nova stirps propagata sit. *coc-t-ile* igitur a *cocto*, *ὀπ-τ-αλέον* ab *ὀπτῷ*, *po-t-ile* fortasse a *potu*, *σχέ-τ-λιο-ς* a *σχέ-τη-ς* (cf. *ἴ-τη-ς*), *ἴ-τη-λο-ς* ab *ἴτη-ς* derivata sunt. Quid vero, si quis vel ea, quae primum inspicienti simplicissima esse videntur, ut *cred-ulu-s*, *trem-ulu-s*, non ab ipsis verborum stirpibus *crêd*, *trem*, sed a nominibus, qualia nobis ex aliorum similitudine fingere possumus, derivata dicat? Nam ut *coquu-s*, *jugu-s*, *procu-s* re vera exstant, quidni etiam **credu-s*, **tremu-s* olim exstiterint? **sciu-s* in compositis certe servatur: *ne-sciu-s*, *in-sciu-s*, *con-sciu-s*, ab hoc derivatur *scio-lu-s*, quod potestate sua a *credulu-s*, *crepulu-s* aliis fere von diversum est. Quare equidem non dubito, quin vocales illae ante *l* consonam positae antiquitus ad priorem terminationem nominalem pertinuerint. cui cum nova terminatio adderetur quantitas vocalium modo intacta mansit, modo aucta est. Itaque hoc quasi stemma harum formarum proposuerim

-a	*-ta*
-a-la	*-ta-la*
-a-l(a)-ja	*-ta-l(a)-ja*
-α-λιο, *-α-λεο* / *-i-li*	*τα-λιο*, *τα-λεο* / *-ti-li*

In quo in vocalium varietatem, quae vario modo explicari potest, jam non inquiro, neque omnino hoc ita intellegi velim, quasi unicuique adjectivo Graeco et Latino in *αλο*, *αλιο*, *αλεο*, *ulo*, *ili* vere supposita fuerit brevior aliqua forma in *a* exiens. Nam haud dubie et hic et alibi exemplorum quorundam re vera sic ortorum analogiam magnus numerus aliorum secutus est. Ceterum si recte haec disputata sunt, efficitur magna quaedam similitudo inter totum hoc, de quo quaerimus, genus et adjectiva deminu-

tiva, maxime Latinorum. Nam, ut exemplo utar, *blandulu-s* sitne deminutivum ejus quod est *blandu-s*, an ita factum ut *legulu-s*, *taedulu-s*, dubium esse potest. Quamquam concedendum erit, jam antiquiore tempore ab uno eodemque fonte duo nominum genera deducta esse, alterum eorum, in quibus vis deminutiva non sentiebatur, alterum tam arto vinculo cum nominibus quibusdam magis primitivis conjunctorum, ut ab his ea ipsa re distinguerentur, quod minora, leviora, molliora significabant. Atque memoratu hoc dignum esse videtur, quod Graeca lingua cum Latina etiam in duplici hoc ejusdem terminationis usu concinat. Qui vero accuratius in has res inquisiturus est, ei nec summa similitudo quae inter *la* (*lo*) et *ra* (*ro*) terminationes, nec substantiva neglegenda erunt, quae minimo interdum discrimine ab adjectivis separantur. Quamquam etiam in his quaedam inter Graecos et Latinos mirum in modum similia sunt. Sic, ut unum afferam, eadem terminatio prorsus eandem vim habet in Graecorum *κειμή-λιο-ν* et Romanorum *pecu-liu-m*.

Quae hic tetigimus magis quam ad finem perduximus, non prorsus abhorrent ab ea occasione, qua ad hanc scriptionem impulsi sumus. Nam Fridericus Augustus Guilelmus Spohnius, professor olim Lipsiensis, in egregio quem de extrema Odysseae parte scripsit libro ipse vocabulorum Graecorum, maxime hypocoristicorum, formas et usum accuratissime tractavit. Hujus igitur viri de litteris optime meriti in memoriam vir clarissimus Ernestus Windisch, philosophiae doctor, qui linguam Sanscritam et grammaticam comparativam apud nos privatim docet, die hujus mensis XX hora XII in auditorio medicorum orationem habebit. Ad quam audiendam Rectorem Academiae magnificum, collegas conjunctissimos, commilitones humanissimos, omnes qui universitati nostrae bene volunt, ea qua par est observantia invitamus.

Dat. Lipsiae die X mensis Januarii a. MDCCCLXX.